mortales puniantur, & per pœnitentiam in viam ſalutis reducantur. Ex hoc fonte plerumque procedunt turbæ, adverſitates, afflictiones, extraordinariæ tentationes, infortunia, quæ omnibus fere hominibus accidunt: quippe omnes fere cæce iis ſeſe implicant ſtatibus, qui primis Dei conſiliis de illorum vocatione adverſantur. Præſerva nos Domine ab hac temeraria electione, nec ſinas, nos incidere in hanc miſeriarum, ac tentationum abyſſum. *Idem*.

Una reprobationis cauſa eſt ſtatum ampletti Dei de nobis conſilio contrarium.

Principium damnationis plerorumque hominum, mea quidem ſententia, ut plurimum non aliud eſt, quam prava ſtatuum, quos aggredimur, electio. Nam ſicuti per prima conſilia ſua Deus omnes homines ſalvos facere intendit, ex ſe, & propria voluntate nolens aliquem perire: ita nullus dubito, quominus in primo ejuſdem conceptu rerum omnium ordo, ac diſtributio tenderet ad omnium ſalutem. Verum omnes fere homines vel omnino non ingrediuntur, vel non uti opus eſt ingrediuntur in hunc primum ordinem, & hoc pacto temere perfringunt primum gratiarum nexum, quas illis deſtinavit Deus, eos ad beatam æternitatem perduturus; evertunt, ut ita dicam, ſalutis ſuæ ædificium, omnes Dei vias ſubvertentes. Ille, quem aris deſtinaverat Deus, temere ſeſe mundo implicat, ille, quem cœlibem optabat, uxorem ducit. Quem caſtris, ac militiæ aſſignaverat, magiſtratum exercet. Parentes nonnumquam ipſi faciunt filiorum ſuorum vocationem, quin Dei conſulant voluntatem, quin aliud quippiam conſulant, quam ambitionem, familiæque ſuæ decora, & utilitatem, Filii quoque ſuis tantum auſcultat cupiditatibus, cum agitur de ſtatu amplectendo. Omnes hac in re ſine conſilio, & prudentia operantur, quin Dei voluntatem exquirant. Mirum ne igitur eſſe debet, ſi in omnibus conditionibus nihil niſi perturbatio, flagitia peccata, peccatoreſque inveniuntur viam perditionis percurrentes. Largire nobis Domine gratiam, ut electionem faciamus perfecte primis conſiliis tuis de nobis conformem, & pro tempore, & pro æternitate *Idem*.

Quoniam Deus, quatenus Creator ſummum habet proprietatis dominium in omnia creata, & abſolutus eſt univerſorum Dominus, in graviſſimo errore, & qui terribilis eſſe poteſt momenti ad ſalutem, verſatur, qui illo inconſulto aliquem in mundo locum, vitæque ſtatum vindicat ſibi. Ex conſcientiæ ſtimulis, ex lapſum multitudine, facile eſt cognoſcere, non eſſe nos in ſtatu, quem Divina Providentia ſingulis noſtrum conſtituit. Heu? Si una tantum via eſſe in ordine Providentiæ tuæ, ſi una tibi eſſet benedictio, quam largiri valeres, de me in nullam reditus ſpem actum eſſet: ſed ſi nequeo amplius ſervare me in ordine bonitatis tuæ, quoniam ab eo inconſulto receſſi poſſunt adhuc proſpicere ſaluti meæ, memet conformans regulis ordinis alterius, hoc eſt, me ſubjiciens in omnibus ærumnis, & adverſis, quæ tibi in me placebit immittere ea in conditione, quam temere amplexus ſum. Millies beatus, eo quod hæc mihi reliqua ſpes eſt, & quod uti poſſum ſuppliciis miſeratricis juſtitiæ tuæ, ut revertar in viam ſalutis, a qua turpiſſimæ per meam temeritatem receſſeram. *Idem*.

Quid nobis reparandum ſit pœnitentiæ viam ingredientibus.

Cum miſeri ſumus eo quod non ſumus ingreſſi ſtatum, ad quem nos Deus appellabat, malum hoc reparandum eſt nobis, noſmet in conditione noſtra per pœnitentiam reparando. Hæc prima ordines perturbatio efficit, ut in ſtatu noſtro tot contradictiones, cruces, atque tribulationes inveniamus. Nulla nobis ſuppetit cauſa noſmet conquerendi de ſeveritate alterius hujus ordinis divinæ Providentiæ quia ſine illius facultate noſmet obtrudere in alium ſtatum voluimus, & hi rigores ad noſtram ſalutem dumtaxat adhibentur. Per hos S. Auguſtinus ſe ipſum ſanctificavit: de illis loquitur Deo in ſpiritu animi grati; & nos quoque ſimili ratione loqui debemus. Heu! Domine exclamat ille, per juſtitiam, quæ in ſpeciem quidem dura eſt, ſed reipſa miſericors, effundebas in ea omnia, quæ accidebant mihi, amaritudinem; ſpinis ſeminali via omnes erroris mei, ac tandem in pœnitentiæ viam reduxiſti me, ut me ſalvum faceres. & ſanctificares. Cum ergo & nos, ut Sanctus iſte Doctor, inveniamur in ordinis perturbatione, ſi amaritudinem dumtaxat, pœnaſque nanciſcimur, ejus exemplo confirmari debemus, & credere, juſtam, atque miſericordem Dei noſtri Providentiam operari noſtram juſtificationem, nobis præbendo occaſionem agendi pœnitentiam, ut de ſtatu erroris emergamus, & noſtræ ſanctificationi cooperemur. *Liber qui inſcribitur modus recitandi orationem Dominicam*.

Animæ, quæ per imprudentem electionem ſeceſſerunt ab ordine bonitatis Dei, omni ſeſe redigere debet ad patienter ſequendum ordinem juſtitiæ ſuæ, & hæc ſola via eſt, quæ illas in ſtatu ſuo ſalvas facere poteſt. Quod ſi per impatientiam, vel impœnitentiæ ſpiritum egrediuntur etiam ex ſecundo divinæ Providentiæ ordine, omnino ſeſe invenient extra viam ſalutis, & viventes ſine regula, & ordine de tenebris procedent in tenebras, & errore in errorem, de præcipiti in præceps. & indeſinenter crimina criminibus accumulantes, tandem cumulum adjiciet iræ theſauro, qui aperietur tandem pro illis ultionum die. Ad quem enim tunc confugiant, ut conſolatione aliqua reficiantur? Ad Deum? Id ne audebunt, cum ſibi facultate vindicaverint egrediendi de vitiis, & bonitatis illius, & miſericordis ejuſdem juſtitiæ? Confugient ne ad creaturas? Inde omnes tribulationes, & mala procedunt. Quærent ne in ſemetipſis, ſi quid ipſos conſolatione poſſit afficere? Hoc numquam invenient. E contra vero ibi invenientes peccatum, & malum, non niſi timoris, atque tumultus cauſas poterunt invenire. Ita enim præcepiſti, Domine, ut omnis ſpiritus, qui per nequitiam omnino prætergreditur ordinem a te nobis conſtitutum, ipſe ſibi ſit injuſtæ ſuæ electionis vindex. Pro ea ſuavitate, quam ſibi promittebat aliquis cum hac perſona in hoc ſtatu, non niſi ægritudinum & offenſionum occaſiones, peccatorum, ac tentationum nanciſcitur. *Idem*.

Utilitates eorum, qui religioſum ſtatum amplectuntur.

Quanta eſt gratia, quam Deus confert homini, quem ad religioſum evocat ſtatum! Quam pretioſa illi eſſe debet? qua cura, & fidelitate illi debet reſpondere! Ex omnibus ſtatibus, quos amplecti poſſumus, nullus aptus non eſt ad cognoſcendum, amandumque Deum, eique ſerviendum, & qui feliciſſimum hunc ſtatum amplectuntur, ii ſunt, quos electum populum ſuum vocat. In hoc populo nomen illius magnum eſt: non niſi de illo cogitatur, non niſi ille amatur, uni illi ſervitur. Ibi memoria habetur illius ſine oblivione, amor ſine diviſione, ſervitus ſine intermiſſione. Anima ſexcentis aliis mundi curis occupata, mens ſexcentis aliis cogitationibus diſtracta, non niſi tanto rato converti poteſt ad Deum: ſed quanta utilitas eſt religioſi, qui a mundo, a tumulto, ab impedimentis, & corruptione mundi ſepoſitus per integram ſeceſſionem, expeditus a divitiarum cura per votum paupertatis, propter quod omnia bonorum genera dereliquit; per votum caſtitatis, propter quod omnes carnis voluptates abdicavit; per votum obedientiæ, quo expeditus fuit cura ſui ipſius, qua inquam utilitate ille perfruitur? Qui Deo tantum occupatus eſt, qui in illum intendit dumtaxat, qui non aliam habet curam, quam ſanctas illius voluntates adimplendi? *Modus recitandi orationem Dominicam*.

In quo conſiſtat ſtatus hujus felicitas.

Hæc una eſt Religioſi ſtatus prærogativa, ſcilicet inſeparabilis quædam neceſſitas de Deo tantum cogitandi, neque aliam habere curam, quam illi placendi. Felix neceſſitas! quæ nobis aufert omnium fallacium bonorum cogitationem. Omnia in mundo efficiunt, ut ideam, & cogitationem Dei abjiciamus: omnia in religionis ſtatu illius memoriam, & cogitationem revocant. Domus, quæ habitatur, proprie eſt domus Dei; veſtis, qua induimur, ſancta eſt; illi, cum quibus verſamur. Deo dicati ſunt, miniſteria, quæ ibi exercentur, per ſe ſancta ſunt, vel per obedientiam ſanctificantur. Nihil non Sanctum occurrit; ſancta exempla, libri ſancti, tabulæ ſancta Sanctorum geſta referentes, divinorumque myſteriorum imagines. Nihil non ſanctum ibi fit: Meditationes frequentes, ferventes adhortationes, colloquia ſancta, preces vocales, orationes mentales, Dei laudes, ſancta cantica ſæpius in diem iterata. Cæterum interiora lumina ibi copioſiora ſunt, atque defæcatiora quam in ſæculo; licet enim Deus ubique ſua effundat lumina, quia vult ab omnibus cognoſci; tamen certum eſt ipſum illa uberius effundere in eos, qui penitus ſeſe illius cultui devoverunt, quam ſuper eos, qui in ſæculo ſunt, & qui minus pro eodem fecerunt. Lumina, quæ te jubente renident ſuper populum, quem tibi Domine elegiſti, & quem a reliquis hominibus ſecreviſti, & cognitiones, quas illi præbes, æternarum veritatum ſunt admirabiles. *Illuminas tu mirabiliter a montibus æternis*. Pſalm. 75. *Ibidem*.

Qui ſæcularibus curis impeditus eſt, ſeſe tradit ſexcentis objectis promiſcue, quibus cor ſuum dividitur: *ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, & diviſus eſt*. S. Paulus inquit. Sed qui mundum dereliquit, qui expeditus eſt, ſuos impendit affectus iis tantum rebus, quæ ad Dominum ſpectant, eique placent. Ex quo nuntium miſit honoribus, opibus, voluptatibus per ea vota, quæ nuncupavit, quid præter Deum amare poſſet? Quid appetere poſſet partem illius cordis, quod eo uſque per amorem ſuum proceſſit? Quemadmodum mens eſſe non poteſt, quin cogitet, & cor quin amet; quid reliquum eſt animæ religioſæ, quæ omnium mundanarum rerum amorem objecit, quam Deum amare, eumque unice, ac ſine diviſione diligere? Deus etiam inveniens animam vacuam, omnibuſque rebus creatis expeditam quid agit? illuc ingreditur, ejuſque omnimodam adit poſſeſſionem. In corde ignem ſancti ſui amoris accendit; occupat memoriam, imagionationem, ſenſus, omneſque internas, externaſque facultates. In ea ſuum regnum conſtituit; & omnes beatæ hujus animæ occupationes non ſunt amplius quam ſervire Deo, & illum amare. *Modus recitandi Orationem Dominicam*.

Omnia Religioſi opera coram Deo fiunt.

Quam jucundus eſt ſtatus Religioſi a mundo ſejuncti, & Deo conſecrati. Omnis illius occupatio eſt facere voluntatem Dei. Si operatur, ſi laborat, ſi a laboribus ceſſat, ſi loquitur, ſi tacet, ſi variis detinetur curis, ſi duobus in locis diverſis moratur; ſi bibit, ſi comedit, ſi vigilat, ſi dormit: id ſemper cum ordine præſtat, & ſecundum regulas obedientiæ religioſæ, quam profeſſus eſt, & quam illis adhibet, qui Dei locum obtinent. Ita jugiter, ac ſine remiſſione dies, noctesque Dei voluntatem adimplet, ac ſervitus, quam illi præſtat, numquam, neque ſomno ipſo intermittitur. Si ad ſublimen hunc perfectionis gradum me vocas, Domine, lubens, & alacer aſſentior iis, quæ petis a me. Felicem hunc ſtatum omnibus mundi opibus præfero, omnique humanæ ſpei antehabeo. Largire mihi tantum hanc gratiam, Deus, ut quoad vita vivam in terris non alia ſit mihi occupatio, quam in rebus omnibus facere voluntatem tuam. *Modus recitandi &c.*

Eos inter qui gratiæ ſuæ vocationis reſpondent, ac Religioſum ſtatum amplectuntur, quotuſquiſque hic invenitur? Heu! nimis multi ſunt, qui ſatis eſſe rati, ſe illum amplexos fuiſſe, non admodum laborant ejuſdem ſpiritum accipere, ejuſque munera adimplere, qui ſibi perſuadent poſt generoſum facinus, quod edidere mundum relinquentes, nihil ſibi ultra faciendum eſſe, ſalutemque ſuam eſſe in tuto, quoniam in ſtatu ſancto ſunt, & vivunt cum Sanctus. Hæc ſententia æque fallax eſt, & periculoſa, hæc illos facile poteſt perdere, & in infernum dejicere per viam Paradiſi. Si enim gratia voationis ad Religionis ſtatum magnum bonum eſt, quod malum conſequitur abuſum tanti boni! Sed cur tot inveniuntur, qui illo abutuntur? Quia nimis freti ſanctitate ſtatus illius; quem amplexi ſunt ingredientes in Clauſtra, ubi non ſatis laborant repleturi vocationem ſuam ea vita, quæ ſint illi conformis, & ubi fortaſſe, & nonniſi nimis verum eſt, ipſi domorum religioſarum parietes, ſi ipſi taceremus, clamarent, ſæpius dedecorant ſanctum illud, quod geſtant indumentum in flagitiis, quorum plurimos ex ſæculo puderet; quod recentem auctorem quemdam impulit, ut diceret, nequiſſimum eorum, qui in mundo ſunt, proculdubio eſſe Religioſorum omnium procaciſſimum; quod non abludit a Philoſophi ſententia, cum ait; *Corruptio optime peſſima*. *Modus recitandi &c.*

Superbi quodcumque ſtatuum genus ingrediuntur quin a Deo vocentur.

Superbis hominibus uſitatiſſimum eſt temere ſibi graviſſimas provincias depoſcere, prætexentes, ſe iis magnas exercituros virtutes, & allaturos pro omni diſpoſitione vanum deſiderium oſtentandi meritum, quod ſibi ineſſe putant. Non ponderant talenta ſua, non cogitant officia, quæ contrahunt, non excutiunt ſe ſe, utrum pares ſint oneri ferendo; non advertunt animum ad ea, quæ ſunt conſecutura. Non ſinit ambitio eos ſuam perpendere infirmitatem. Nonnumquam ambitioni huic ſecreta quædam ſeſe immiſcet invidia. Homines vi, & lumine carentes, ſe illis exæquare contendunt, qui majori vi & lumine pollent. Conjiciantur oculi in varios vitæ ſtatus; quæ tunc perturbatio, qui tumultus videbitur; idque quia nemo illum vitæ ſtatum ingreditur, ad quem illum divina providentia evocabat. Eligit ne ſibi aliquis occupationes talentis ſuis appoſitas, ac viribus congruas? Nullo modo, immo videmur prorſus oppoſitas adfectare. Hic dirigit, qui dirigendus eſſet. Ille imperat, cui eſſet obtemperandum. Hic docet, qui docendus eſſet; ille in publicum prodit ad mores aliorum perſtringendos, cui ſui melius eſſent corrigendi. Alius denique ſeſe omnibus immiſcet, qui nulli ferme rei aptus eſt. *Sermo ſecundus Academiæ anni* 1695.

De eorum temeritate, qui non vocari ſtatum aliquem ingrediuntur.

Ubi ſemel inordinata ambitionis cupiditas dominatur in nobis, contemnitur, quodcumque ratio, & conſcientia, & amici validius nobis afferre poſſunt adverſum deſiderium ejus provinciæ, quam ſcimus viribus noſtris non congruere, & ambitioſus neſcit quibuſcumque objectionibus reſpondere, quam illud reddere rebellis Angeli dictum: *Aſcendam*. Sed quomodo eum ſibi depoſcere valeat honorem, qui ingenium illius excedit, & ejus viribus præſtat? Quomodo eam obire provinciam, quam numquam ſumus obituri? Quomodo eos nos pondere onerare, quod ferre humeri noſtri recuſant? Honorem cupio, dicet aliquis inveniam, qui ferat onus, ubi cum ipſo fructus partiri velim. *Aſcendam*. Sed in loco omnium oculis, cenſuræque patenti, quomodo conciliari poſſunt officia ejus dignitatis, quæ puram, ac irreprehenſibilem vitam poſcunt cum eo naturali ſtudio, quo rapimur ad voluptatem? Pro virili parte non ſecus ac tot alii exteriorem ſpeciem ſervabimus; & niſi ita felices erimus, ut populi ora claudamus, ſatis erimus fortes, ut illos exclamare ſinamus. *Aſcendam*. Sed ſcandalum, quod parituri ſumus, in nullo diſcrimine habemus? Obmurmurationes, quas excitaturi ſumus; contemptus, quem nobiſmet conflabimus; riſus, & joci, quos in caput noſtrum convertemus? Quamprimum futuri ſumus opprobrium totius civitatis argumentum omnium ſermonum? tutius ſane in mediocritate ſecuti fuiſſemus noſtras cupiditates in ſtatus mediocritate: & minus nefarie in caligine deſideriis noſtris paruiſſemus. Ad hæc non aliud reſpondetur, niſi quod aſcendere volumus. *Aſcendam*. Eſto; dummodo ad ſupplenda, quæ vocationi, atque ingenio noſtro deſunt, ſaltem labore adniteremur noſmet efficere pares illis honoribus, ad quos contendimus, & ad quos vanitas noſtra nos adducit, labore, inquam, jugi, & conſtanti; acri ſtudio ad ſtatus illius munera cognoſcenda; pietate probata, & probitate, quæ nobis reſurgendi gratias promereatur: temeritas noſtra aliquem ſaltem haberet locum, ex quo poſſet excuſari. Sed quas vulgo animi adfectiones afferimus? inordinatam adoleſcentiam, cupiditates æſtuantes, habitus incorrigibiles. Ita affecti ad magiſtratus, & judicum ſubſellia aſcendimus, ubi de hominum vita judicium ferendum eſt; ita per ſummam impudentiam religioſum ſtatum amplectimur. Mirum ne ergo eſſe debet, ſi in omnibus mundi ſtatibus tot ſcandala paſſim occurrunt. *P. Aurelianenſis, Sermone de Annuntiatione*.

ZELUS SALUTIS PROXIMI.

ZELUS FALSUS, ET VERUS: APOSTOLI, APOSTOLICIQUE VIRI; CURA, ET DESIDERIUM SALUTIS ANIMARUM.

M O N I T U M.

Zelus animarum neceſſario quodam vinculo cum charitate erga proximum conjunctus eſt; nihil enim hoc in charitate ſublimius, atque præſtantius eſt; verumtamen non ideo minus aptum eſt concionis omnino peculiaris argumentum. De hoc igitur agemus, quin rationem habeamus ad ea, quæ generatim a nobis dicta ſunt de charitate, quam fratribus debemus; & quamvis zelum habere debeamus pro iis omnibus quæ ad religionem, & Dei cultum pertinent, nos illum tamen ad ſolam ſalutem animarum, & munus Apoſtolicum eorum, qui in vinea Domini operantur, coarctabimus.

Hac autem in re plura ſunt nobis conſideranda, videlicet cauſæ, quæ zelum hunc excitare debent; peccatores, & peccata, in quæ exercendus eſt; quæ conditiones, in eo requiruntur; vitia, quæ ſeſe illi immiſcere, atque illum corrumpere conſueverunt; quibus actionibus illum teſtari poſſimus; quibus in occaſionibus illum præſertim præ nobis ferre debeamus; ſed ante omnia præſtantia, ac meritum divini hujus miniſterii, quale eſt ſaluti aliorum, & proximorum converſioni vacare.

Aliquid jam dixiſſe poſſumus de hoc zelo, cum de animarum pretio loqueremur; ſed quemadmodum ne argmenta confunderetur, tunc obiter tantum de zelo, quo Chriſtianus ſaluti earum aliquid conferre tenetur, locuti ſumus, iſtic fuſius verba facere inſtituemus ad fideles excitandos, ut proximo ſuo opitulentur ea in re, quæ una omnium maxime neceſſaria eſt, maximique momenti, qualis eſt ſalus animæ illius.

P A R A G R A P H U S P R I M U S.

Varia Concionum hujus argumenti lineamenta.

I. IN zelo pro fratrum noſtrorum ſalute a nobis habendo tria conſideranda ſunt, quæ concionis hujus diviſionem efficient. 1. Neceſſitas, qua Chriſtianus quilibet procurare debet ſalutem proximi ſui ſecundum ſtatum, vires, ingeniumque ſuum. 2. Cauſæ, quæ nos excitare debent, ut ſaluti animarum cooperemur, atque ad ſanctum hoc munus ſuſcipiendum impellere. 3. Conditiones, quas hic zelus habere debet, ut omnia illi proſpere eveniant.

Pars prima. Neceſſitas, quam omnes habent fideles aliquid ultro citroque ſaluti ſuæ conferendi, innititur præcepto, quod a Deo fuit irrogatum: *Mandavit illis unicuique de proximo ſuo*. Eccli. 17. Neque ambigi poteſt, quominus zelus, quem pro ſalute proximorum habere debemus, in præcepto illos tanquam noſmet ipſos amandi contineatur; quoniam eſſe debet charitas chriſtiana, & ſupernaturalis, quæ in eo ſita eſt, ut quantum in nobis eſt, illis optemus, & pro viribus procuremus bonorum omnium maximum, æternam videlicet ſalutem. Hæc autem charitas, cum ardens eſt, zelus vocatur; itaque non minus pro fratribus zelus, quam charitas a nobis eſt habenda; ita ut quemadmodum ubi calor non eſt, inferendum eſt, ignem non eſſe, ita ubi zelus non eſt, inferendum eſt non eſſe charitatem. 2. Si zelus in æquiorem ſenſum adhibitus quamdam in bono æmulationem ſignificat, mutuo habere debemus ſanctam hanc æmulationem, quæ eſt veluti chriſtianæ amicitiæ fundamentum, & quæ ſemper eſſe debet cum charitate, a qua ſeparari non poteſt, conjuncta: *Æmulamini in bono*, ut Apoſtolus ad Gal. 4. loquitur. 3. Quemadmodum chriſtiana charitas non eſt iners oblectatio ob proximi ſui bonum, neque ſimplex deſiderium de eodem benemerendi, ſed re ipſa eidem benefacere ſtudet, eique in neceſſitatibus opitulari; ita zelus, cujus objectum eſt proximi ſalus, ſatis non putat illi ea, quæ bona ſunt, deſiderare, ſed nihil intentatum relinquere debet, ut ea eidem procuret; media, & occaſiones juvandi perquirat, ita tamen ut ſinguli pro viribus, ſtatuque ſuo contendant. O Deus! quotuſquiſque eſt, cui de hac veritate ſit perſuaſum? Ignis iſte nonne hodie ferme extinctus eſt, atque hæc charitas nonne prorſus intepuit? Quamvis autem hoc omnes homines præſtare teneantur, ſunt nihilominus aliqui, ad quos peculiari jure pertineat. 1. Publicæ perſonæ, quæ in honore ſunt, vel in alios habent auctoritatem, horum ſalutem procurare debent. 2. Patres familias neceſſario debent filiorum ſuorum inſtitutioni vacare, & efficere, ut domeſtici eorum edoceantur, quomodo chriſtianam ducere debeant vitam. 3 Unuſquiſque etiam privatim ad id tenetur; neque eos ſua diſpenſat vel mala valetudo, vel ingenii, aut poteſtatis exilitas; nemo quippe eſt, qui alienæ ſaluti prodeſſe nequeat qua bonis ſermonibus, qua monitis ſalutaribus, qua exemplis, qua precibus.

Pars altera. Cauſæ, quæ zelum noſtrum excitare, & inflammare debent, ſunt præſertim 1. Dei gloria, quam pro virili procurare debemus. Hoc autem nunquam melius præſtare poſſumus, quam ſi totis adnitamur viribus, ut ad cultum illius perducamus animas, quæ ad ipſius imaginem creatæ ſunt, quæ illum cognoſcere, & amare poſſunt, in quo proprie ejus gloria conſiſtit; neque ipſi majorem Deo benevolentiam teſtari poſſumus, quam operam noſtram ea in re collocantes, quæ eidem accidit jucundiſſima. 2. Honor, quo afficiemur tanquam ſocii, cooperatores, & uti S. Paulus loquitur, coadjutores filii Dei in opera ſalutis humanæ, in quo ille ſuam vitam, laborem, & paſſiones omnes impendit. Efficiemus, ut percipiat fructum ſanguinis ſui, ejuſque meritum peculiaribus hominibus applicabimus. 3. Inſigne beneficium, quod afferemus animabus, quæ opera noſtra ſalvæ fient; quem illæ nobis grati animi ſenſum teſtabuntur? Quod gaudium, & ſolatium in morte percipiemus illas offerentes Deo, tanquam fructum benedictionum, quibus ille proſecutus eſt labores noſtros. Nonne illæ viciſſim omnem locabunt operam, preceſque ſuas, ſalutem noſtram procuraturæ per gratias, quas pro nobis obtinebunt a Deo &c.

Pars tertia. Conditiones, quæ in zelo requiruntur, ut ſit efficax. 1. Cum propter Dei gloriam proximorum ſaluti vacare debeamus, zelus hic debet eſſe purus, integer, & ab omni cupiditate, & alia quavis ratione vacuus; hoc enim illum corrumpere conſuevit. Quot enim aliæ rationes ſe ſe illi immiſcent? 2. Cum ſit ad exemplar illius, quo Dei filius flagravit, ejuſdem præcipuos characteres præſeferre debet, qui ſunt manſuetudo, patientia, & quædam erga proximi infirmitates indulgentia. 3. Cum pro objecto proximi ſalutem habeat, noſtræ oblivisci nequaquam debemus; & hic zelus eſſe debet ſecundum ſcientiam, hoc eſt prudens, diſcretus, ordinatus &c.

II. Zelus circa duo verſatur, erga quæ aliter ſeſe gerere debet; videlicet malum, quod eſt peccatum, propter quod tabeſcit, & quod prohibere conatur; & bonum, vel opera bona, quæ pro Dei gloria, & proximi ſalute facere conatur. Hæc ea ſunt quæ zeli objectum efficiunt.

Primum, quod pertinet ad malum. 1. Zelus debet eſſe prævidens, ut illud prævertat, potiuſquam eidem medicinam tunc afferre expectet, cum jam acciderit. 2. Agens eſſe debet, atque vim præſeferre ad illud, cum recens eſt, inhibendum. 3. Conſtans eſſe debet, inexorabilis, ut malo, quod conſenuit, medeatur.

Alte-

Alterum, quod zelus tamquam objectum ſuum reſpicit, bonum eſt, quod pro Dei gloria, & proximi ſalute aggredi debet. 1. Exercendus eſt cum auctoritate, & ad id jus requiritur, aut miſſio, vel ab ipſo vitæ ſtatu obligatio. 2. Cum prudentia, ne quid ſupra vires aggrediamur, neque noſmet pereundi periculo objiciamus, ut alios ſalvemus. 3. Cum tranquillitate, ſine impatientia, ſine impetu contra obices, qui occurrere poſſunt.

III. In ſolis zeli conditionibus immorari poſſumus, ſuppoſita illius exercendi neceſſitate, & ſubjecto, in quo eſt exercendus; ubi pulcherrimus hic Sancti Bernardi locus juſtam ſuppeditare poteſt diviſionem: *Zelum tuum inflammet charitas, informet ſcientia, firmet conſtantia, Sit fervidus, ſit circumſpectus, ſit invictus*. Diviſio hæc ita juſta, regularis, & perſpicua eſt, ut nulla egeat explicatione. 1. Zelus excitari debet ardenti charitate, 2. regi ſcientia, & prudentia, quæ eſt tamquam virtutum omnium forma; 3. debet eſſe immotus, & invictus per eam conſtantiam, quæ efficit, ut omnibus adverſetur difficultatibus, & obicibus, qui in conatibus, juſtiſque illius conſiliis poſſunt occurrere.

IV. Pro argumento aſſumi poſſunt ſigna, quæ efficere debent, ut verum a falſo zelum diſtinguamus. Primum eſt videre, & ad examen vocare, utrum noſmet ipſos inquiramus per amorem proprium, quin meram Dei gloriam, proximique ſalutem ſpectemus. Secundum; utrum nobis ulla ſit perſonarum acceptio, & utrum æque libenter pro pauperibus, atque pro divitibus adlaboremus &c. Tertium, utrum intentatum relinquamus quidquam eorum, quæ apta ſunt, ut munus hoc feliciter obeamus, & difficultatibus occurrentibus deterramur.

V. De indiciis, & characteribus falſi zeli, aſſumptis pro themate verbis illis: *Medice cura te ipſum*, 1. Falſus zelus cupidus eſt, & in bono, quod aliis procurat, propriam dumtaxat quærit utilitatem. 2. Effectu contrario ſui ipſius obliviſcitur, ut ſe omnino aliis tradat. 3. Temerarius eſt, furibundus; ſine ſcientia, ſine prudentia; atque tunc nec proximo utilis eſt, neque ſibi.

VI. Quas habere debeat qualitates Apoſtolici viri zelus, qui peccatorum converſionem inquirit. 1. Auctoritatem habere debet a legitima miſſione; neque enim injuſſus ei ſeſe implicare debet miniſterio, ad quod non vocatur a Deo, ut Pſeudoprophetæ illi, de quibus in Scripturis ſermo eſt, qui Dei verbum annuntiare volebant, quin a Deo mitterentur, vel hoc mandatum reciperent. 2. Lumen illi accedere debet a ſcientia, alioquin cæcus eſt, alios cæcos ducens in præceps. Debet eſſe imperterritus, ſed cum prudentia, ne quid perperam aggrediatur; hoc eſt paucis, zelus robur habere debet, & auctoritatem, ſcientiam, & humilitatem, audaciam, auque prudentiam. *Ex ſpecimine ſermonum pro dominicis*.

VII. Primum. Cooperari ſaluti proximorum cum iis conditionibus, quas verus poſtulat zelus, eſt propriam ſalutem operari, idque modo quodam uberiore. 1. Ita enim conciliamus nobis affluentiam gratiarum, quas impertit Deus illis, qui ipſi gratificaturi in id omnem operam figunt, quo nihil illi jucundius eſt, & antiquius. 2. Quia ſi charitas operit multitudinem peccatorum, eorumque nobis obtinet veniam, animarum ſalutem procurare proculdubio actus eſt charitatis præſtantiſſimus. Ita S. Jacobus Apoſtolus teſtatur, eum, qui cauſa converſioni proximi extiterit, ſalvam facturum animam ſuam. 3. Quia animæ, quarum ſaluti opem tulerimus, viciſſim & noſtræ opitulabuntur; ejuſque nobis apud Deum ſubſidia procurabunt.

Secundo. Cooperari ſaluti proximi ſine iis conditionibus, quas habere debet zelus, hoc eſt ſalutem ſuam periculo objicere, ac ſe ipſum in diſcrimen adducere. 1. Quia hoc eſt ſemet exponere occaſionibus peccati, in quibus ſe nobis opitulaturum Deum nunquam recepit. 2. Imprudentia noſtra efficit, ut infinita ſcelera committamus. 3. Cauſa ſumus interitus aliorum, quorum Deo rationem reddituri ſumus, quin aliquid eorum ſaluti contulerimus.

VIII. 1. Nihil Deo jucundius eſt ardenti, veroque ſalutis proximi zelo; nihil quippe eſt, quod majorem illi gloriam procuret. 2. Nihil magis noxium proximo, eccleſiæ, & nobis zelo indiſcreto, imprudente, inordinato.

IX. 1. Amorem noſtrum erga Deum nulla re magis teſtari poſſumus, quam ſincero, adentique zelo pro ſalute animarum. 2. Non poſſumus majorem erga proximum habere charitatem, quam omne ſtudium, operamque tranſmittentes, ut illi bonorum omnium maximum, æternam videlicet ſalutem procuremus. Itaque in zelo animarum continetur utrumque charitatis præceptum, quo tota lex adimpletur.

X. 1. Cooperari ſaluti proximorum maximus eſt honor, & maxima gloria, quam Deo deferre valeamus. 2. Maximum bonum eſt, quod proximo afferre poſſimus. 3. Actio eſt maximi meriti quam pro nobiſmet ipſis operari queamus.

1. In quo verus zelus conſiſtat. 1. In hoc ut oderimus peccatum, & illud pro virili deleamus. 2. Ut amemus peccatores, & nullum non moveamus lapidem, ut eos ab errore avocemus.

XI. 1. Quomodo poſſimus duobus hiſce muneribus defungi per odium perfectum, ut loquitur Propheta, & perfectum amorem. 1. Zelus, quem ſovemus pro inimicis noſtris, omni careat amaritudine, & acrimonia. 2. Zelus, quo flagramus pro ſalute amicorum noſtrorum, careat ignavia, nimiaque indulgentia. 3. Zelus, quem habemus pro illis, qui nobis nullo ſunt in diſcrimine, ſit ardens, & prudens.

XII. Falſi, inordinatique zeli illuſiones. 1. Omnes ſenſus ſuos quantumvis a ratione abhorrentes accipit pro veritatibus conſtantibus, & totidem articulis fidei. 2. Ingenii ſui ardentis impetus pro Spiritus ſancti motibus interpretatur. 3. Monita amoris plena, quæ ſibi traduntur, invidiæ effectus, & dæmonis contradictiones putat.

P A R A G R A P H U S A L T E R.

Fontes, auctoreſque, unde hauriri copia poteſt ad has concionum ſtructuras exornandas.

S. Auguſtinus *tract.* 10. *in Joann.* oſtendit chriſtianos omnes habere debere zelum pro ſalute proximi ſui; & quibus in occaſionibus zelum hunc teſtari debeamus. Sancti Patres.

Idem *tract.* 56. *in eundem Joannem* explicans, hæc verba: *Ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit*, oſtendit, quænam ſint viri zelo ſuccenſi munera.

S. Ambroſius in Pſalm. 118. prolixum habet ſermonem de zelo, ubi oſtendit Apoſtolorum zelo acceptam referendam eſſe gentilium converſionem.

S. Chryſoſtomus in hom. 80. in Matth. oſtendit, quem ardorem teſtari debeamus fratribus noſtris, qui pereunt, opitulaturi.

Idem *homil.* 3. *in Geneſin* docet, quam jucundum ſit Deo pro ſalute animarum contendere.

Idem *lib.* 3. *adverſus vituperatores vitæ monaſticæ* docet nobis parum profuturum eſſe vitam ducere irreprehenſibilem, ſi eorum ſalutem negligimus, qui nobis ſubditi ſunt.

Idem *Orat.* 5. *adverſus Judæos*, docet nullum eſſe bonum opus, quod exæquare valeat meritum zeli animarum.

Idem in commentario in Epiſtolam ad Hebræos oſtendit, cooperari ad ſalutem animarum officium eſſe Angelorum, & J. C.

Idem in elogium S. Pauli, illum comparat Angelis, & iis omnibus, quæ in cœlo, quæque in terris maxima ſunt, propter zeli magnitudinem.

Idem *in* 1. *ad Corinth.* ubi refellit falſum eorum prætextum, qui dicunt zelum animarum, neque virtutem eſſe, neque officium illorum, qui in mundo vivunt.

Idem *homil.* 17. *ad Popul. Antioch.* refert zelum aliquorum ſolitariorum, qui venerunt Antiochiam, ut Theodoſii Imperatoris iram mulcerent.

S. Ambroſius in Pſalm. 128. oſtendit mundi converſionem zelo Apoſtolorum deberi.

S. Gregorius in evangelia docet neminem ſe excuſare, vel diſpenſare poſſe a zelo pro ſalute proximorum.

Theodoretus *lib. Eccleſiaſt. Hiſtor. cap.* 25. adfert exemplum S. Antonii, & alterius ſolitarii, cui nomen Aphrates, temporibus Imperatoris Valentis Ariani.

S. Bernardus *ſerm.* 49. *in Cantic.* mirum in modum zelum inordinatum, & furentem deſcribit.

Idem *ſerm.* 70. oſtendit effectus zeli, & ſigna, unde conjicere licet, utrum ſuccenſus ſit igne Spiritus ſancti, & quomodo hic zelus poſſit acquiri.

S. Bonaventura in vita S. Franciſci c. 12 oſtendit ardorem zeli, quo Sanctus hic erat animatus.

Albertus Magnus in paradiſo animæ cap. 26.

Granatenſis in tractatu de Oratione, & Meditatione §. 12. loquitur de zelo indiſcreto. Aſcetici aliiſque.

Alphonſus Rodriquez 3. part. tract. 1. cap. 10. fuſe, ac ſolide hoc argumentum pertractat.

P. Gaudiet lib de perfectionis natura, & cauſis *part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 17. & 18. loquitur de objecto, cauſis, affectibus, & natura zeli.

P. Saint-

P. Saintjure lib. 3. de cognitione, & amore Domini noſtri c. 12. ſect. 13. prolixum habet tractatum de zelo animarum, ubi collegit quidquid ab aliis dictum fuit.

P. Haineuve in tertia parte libri de ordine ſerm. 18. fuſius hoc argumentum perſequitur, & docet quomodo zelus ſit dirigendus.

Bernardinus Roſſignolius *de diſciplin. relig. lib. 3. c. 8.*

Nicolaus Lancicius *opuſc.* 13.

Jacobus Alvares lib. 3. de adept. virtutum part. 2. cap. 5. §. 3.

Theophilus Bernardinus de perſever. relig. lib. 4. integro.

Joſephus Manſi Bibliotheca moralis tract. 96.

Raynerius de Piſis in Pantheologia verbo zelus.

Creſolius in Myſtagogo l. 3. c. 34.

P. du Sault parte 2. operum aſceticorum c. 5. refert animadverſiones S. Thereſiæ de zelo animarum.

Liber, cui titulus: Animadverſione in varia religionis, Ethicæque argumenta, caput habet hujus argumenti.

P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus pro ſingulis anni diebus tomo 4. pro die 25. & 26. Octobris; & pro die 3. Decembris.

De hoc etiam argumento agit P. Colombiere in conſiderationibus.

P. Croiſet tomo 1. conſiderationum chriſtianarum agit de falſo zelo.

Concionatores, qui hoc tractarunt argumentũ.

Matthias Faber in *Auctario Them. 3. in feſto SS. Simonis, & Judæ.*

P. Cheminais in die Pentecoſtes.

Stapleton *Dominica* 11. *poſt Pentec. Textu* 1.

Idem Dominica 4. *poſt Pentec. Textu* 1.

Idem Dominica 2. *poſt Paſcha Textu* 2.

Abbas de Monmorel homil. in evangelium Dominicæ in octava Aſcenſionis, ubi rationem tradit diſtinguendi zelum falſum a vero.

Euſebius Nierembergius homil. 19. de animarum zelo, & cura juvandi proximos.

Auctor ſermonum in omnia Ethicæ chriſtianæ argumenta ſermone pro Dominica 2. poſt Paſcha.

Qui collectanea ediderũt.

Granatenſis in Sylva locorum communium, verbo *Zelus.*

Buſæus in Viridario. }
Labatha in Theſauro } Verbo Zelus.
Lohner in Bibliotheca manuali }

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & applicationes Scripturarum huic argumento.

De manu fratris ejus requiram animam hominis. Geneſ. 9.

Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſrael. 3. Reg. c. 19.

Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Pſal. 68.

Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Pſalm. 118.

Nonne qui aderunt te Domine oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Pſalm. 38.

Accenſus eſt velut ignis zelus tuus. Pſalm. 78.

Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Cant. 8.

Vivo ego, dicit Dominus: nolo morte impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat. Ezech. 33.

Mandavit illis unicuique ad proximo ſuo. Eccli. c. 17.

Bonam zelum meum in te. Ezech. 23.

Optabam ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem. Ad Rom. 9.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Ad Galat. 4.

Teſtimonium perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Ad Rom. 10.

Charitas Chriſti urget nos. 2. Corinth. 5.

Cupide volebamus tradere vobis non ſolum evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. 1. ad Theſſal. c. 2.

Teſtis eſt mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in viſceribus JESU CHRISTI. Ad Philip. 1.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror? 2. ad Cor. 11.

Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes . . . & cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam. 1. Petri c. 5.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? Luc. 12.

Exempla ex veteri, novoque teſtamento deſumpta.

Zelus Moyſis.

Moyſes proculdubio primum eſt, ac præſtantiſſimum exemplum, quod in lege veteri nobis ſuppetat, zeli, quem de proximi ſalute fovere debemus, cujus figura quædam erat Iſraelitici populi liberatio. Cum autem magnus hic legislator pluribus in occaſionibus zelum hunc præ ſe tulerit, præcipuas referemur, in quibus præclara præbuit argumenta nunc firmitatis, ac roboris, nunc manſuetudinis, & charitatis erga populum hunc, cujus ut liberator, dux, & legislator exiſteret, a Deo fuerat electus. Primum, quod tradiderit, ſubmiſſi, & generoſi zeli exemplum fuit, obſequi imperio, quo juſſus fuerat Pharaonem convenire, ut Dei nomine præciperet, ut populum hunc in deſertum ſecedere ſineret vero Deo ſacris operaturum. Moyſes mirifice mandatum hoc reformidaverat, ac ultima quæque conatus fuerat, ut illud detrectaret; hanc Dei voluntatem eſſe videns eo munere perfunctus eſt tanta animi præſentia, ut ſimul & fidei ſuæ magnitudinem, & obedientiæ alacritatem, & amoris erga populum ſuum ardorem oſtenderet; quoniam illius libertatem procuraturus ſe ſe in manifeſtum mortis periculum objecit eo zelo, quem magni eccleſiæ paſtores ſemper tamquam documentum ſibi propoſitum reſpexerunt. Quoniam Moyſis exemplo ſemper revereri debent principes, quin tamen iracundiam eorum reformident, cum de gloria Dei ſermo eſt.

Zelus ejuſdẽ orantis ad obtinendam populo ſuo veniam, quod aureum vitulũ adoraſſet.

Zelus animarum majoris coram Deo meriti eſt, quam patrare miracula. Quæ enim miracula, quæ prodigia Moyſes operatus eſt, cum Iſraelitæ egreſſi ſunt de Ægypto? Attamen nil horum ne longe quidem accedit ad zelum, quem teſtatum eſt, cum pro illis deprecatus Deum dixit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele, me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Exod. 32. Hoc eſt, S. Jo: Chryſoſt. inquit, maximum miraculorum omnium, quæ Moyſes operatus fuerit; hoc ſaltem oſtendit zelum, & charitatem, cui vix parem inveneris; cum Moyſes præ magnitudine benevolentiæ, qua ingratum hunc populum proſequebatur, ferre non potuit verba Dei minitantis ſe illum perditurum, quamvis polliceretur ſe Moyſem effecturum ducem alterius populi potentioris, & minus ingrati. Sed incomparabilis ille Paſtor tunc præbens charitatis exemplum illis omnibus, qui deinceps erant futuri duces animarum, ſemper cum Deo locutus eſt, quaſi mallet cum populo ſuo perire ſimul, quam ſine illo magnum fieri. Manſuetudo ejus oblivioni tunc tradidit peculiarem injuriam, quæ tunc ſibi inferebatur; ne aures quidem adhibuit inſigni illi auctoritati, quæ in novum populum ſibi promittebatur. Immo gloriæ Dei ipſius intereſſe docuit hanc populo veniam concedere, ne diceretur callide populum adduxiſſe in deſertum, ut ipſum ibi exterminaret.

Zelus ejuſdẽ perſequentis injuriam illatam Deo, & ſcelus punientis.

Poſtquam de montis cacumine Moyſes deſcendit, ubi diu cum Deo fuerat collocutus, propriis oculis intuitus aureum vitulum, quem Iſraelitæ efformaverant, & choreas, quibus circa illum ludebant, ita ſancto zelo correptus fuit, ut proſtraverit, ac perfregerit tabulas legis: deinde vero nihil veritus populi nequitiam, impiis omnibus inſpectantibus, vitulum arripuit, comminuit, & in cineres redegit, quos aquæ admixtos illis propinavit, teſtaturus, quantum ipſe hoc idolum contemptum perhorreſceret, & mox zelo actus in caſtrorum janua ſtetit, elataque voce clamavit, ut ſi quis eſſet veri Dei adorator, illico ad ſe armatus accederet, ut ſimul injuriam, qua Deus fuerat laceſſitus, perſequerentur. Cum autem Levitæ ad ipſum acceſſiſſent, imperavit illis, ut diſtrictio gladio ab uno ad aliud caſtrorum oſtium pergerent obvium quemlibet occidentes, quin vel patribus, vel fratribus, vel filiis parcerent. Dicto paruere, ac brevi tria prope, & viginti hominum millia cæſa ſunt. Ita Paſtorum omnium mitiſſimus, qui invicta patientia omnes privatas perferebat injurias, juſtam teſtatus eſt iram, ſanctumque zelum, ut Dei injurias ulciſceretur; ille, qui modo populi ſui deprecatus fuerat excidium ſe ſe pro illo offerens morti, nunc adeo intentem illius numerum delet. Charitatis ignis, quo intus flagrabat, extrinſecus ejuſdem zelum accendit. Recordatus eſt ſe mediatorem eſſe, ut tam Dei gloriam apud populum, quam ut apud Deum populi utilitatem procuraret. Amor ejus fecit, ut ille quidem Dei obſiſteret iracundiæ; ſed zelus, ut de illis ſumeret pœnas, quos Dei ipſius furori ſubtraxerat.

Zelus, quo Rex David ardebat contra peccatores.

Non poſſumus apertius intelligere magnitudinem zeli, quo flagrabat David videns Deum a peccatoribus læſum, quam ex dolore, quem ipſe teſtatur: *Defectio tenuit me*, in Pſal. 118. ait, *pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, in eodem Pſalmo ait: *quia non cuſtodierunt legem tuam.* Non ſecus ac quidquid in alambicem injicitur, vi ignis in aquam reſolvitur; ita David zeli ſui vi ſolvebatur in lacrymas, cum videret infinitam Dei majeſtatem lædi. Nobis ſimilis eſſe debet zelus, ita ut hinc quadam ſumma afficiamur voluptate videntes Deum ab omnibus diligi, & in pretio haberi, inde vero nunquam graviori dolore conficiamur, quam cum eumdem offendi conſpicimus. Hoc verus præſtat zelus, S. Auguſtinus ait: & illum zelus domus Dei vere comedit, qui prohibere vellet omnia mala, quæ ab aliis patrari videt, & qui dolet vehementer, quod hoc nequeat facere, & gemit.

Exemplum Eliæ.

Cum inveniuntur animæ quædam, quæ in ſcelere occaluerunt, Deus illis alias opponit ita zelo ſuo ſuccenſas, ut nihil earum impotentiam reformident, ac libere ipſis impietates illarum exprobrent. Talis fuit Elias vir ille Dei, qui diu in latebris nutritus, tandem inde illum eduxit Deus, ut ſilentio ſuo finem imponeret, atque in aulam Achab Regis prodiret, non ut illi in flagitiis ipſius adblandiretur, ſed ut divinæ juſtitiæ ſententiam ei pronuntiaret. Cum igitur hactenus ſatis illi fuiſſet ſummo cum dolore nequiſſima intueri ſcelera Achab, & progreſſus idololatriæ, tacebat, quia Deus nondum illi imperaverat, ut loqueretur, atque clam Deo gemitus ſuos offerebat. Sed ſtatim ac Deus illi os aperuit, non impietas Achab, non ſtulti furores Jezabel, non ulla humana cogitatio illum potuit deterrere. Prodiit ille coram Principe ignem corde, ore, & oculis gerens, edixitque illi futurum, ut in pœnam ſcelerum ipſius ne una quidem pluviæ gutta dilaberetur, regnumque ipſius annonæ caritate ad extrema quælibet redigeretur. Cum illo locutus eſt, perinde ac in manibus cœli claves haberet, ac illud verbo claudere poſſet, & reſerare; & quaſi penes ipſum elementorum eſſet arbitrium, iiſdem uſus eſt ad perſequendam injuriam, quam creatori eorum idololatra hic princeps inferebat. Zelum ſuum aliis etiam in occaſionibus teſtatus eſt, veluti cum de cœlo ignem elicuit, quo devoraretur ille, qui ad ipſum comprehendendum cum quinquaginta virorum comitatu miſſus fuerat; & cum poſtquam pſeudo prophetas vicit, atque [illegible]it, omnes ſimul interfecit. Sed cum zelus [illegible] ſeverus, qui tunc temporis erat neceſſarius, non [illegible] amplius conformis ſpiritui novæ legis, de hoc nihil ultra dicemus.

Deus exprobravit zelum Jonæ nimis ſeverum, & inordinatũ.

Dei nomine Jonas Ninivitis prædixerat, urbem eorum intra quadraginta dies eſſe evertendam; quod vaticinium cum effectu nequaquam probari videret, ægre ferebat, illam a Deo, quemadmodum minitatus fuerat, non deleri. Hoc in rerum ſtatu egreſſus urbe cum tegmen veluti quodnam ſibi concinnaſſet, humi diſcubuit; cum repente ſuſcitavit Dominus hederam, quæ ſuper Prophetæ caput aſſurgens umbra ſua quodam veluti papilione tegebat illum, & a Solis æſtu eum tuebatur. Sed craſtina die juſſu Dei hædera exaruit; cumque Propheta, cujus caput ſolaribus radiis urebatur, hederæ tabeſceret deſiderio; *Putas ne*, Dominus inquit ille, *bene iraſceris ſuper hederam;* Iraſceris, quia exaruit hedera; attamen ut illam neque plantaſti, neque incrementum dediſti; *Et ego non parcam Ninivæ civitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam, & jumenta multa?*

Zelus Mathathiæ.

Zelus ardens, quo flagrabat Mathathias, ut Domini legem defenderet, exhibetur lib. 1. Machab. cap. 2. cum videns nationis ſuæ adverſa, & calamitates ait: Væ mihi, qui ideo natus videor, ut patriæ meæ excidium, atque mala populi mei conſpiciam, cum præ dolore, atque indignatione ſcidit veſtimenta ſua, cum vidit Judæum idolis ſacrificantem, & cum zelo actus ſua propria manu confodit hunc impium in ara eadem, ubi horribilis hæc prophanatio committebatur.

Zelus, quem Dei filius habuit pro ſalute animarum.

Animarum zelus proprie cauſa fuit, propter quam Dei filius venit in terram, in omnibus actionibus illius ſanctum pro earum converſione ardorem niteſcere intuemur. Quærit publicanos, ac ſe objicit calumniæ eos lucraturus. Samariam petit, ibique proſtitutæ mulieris cor immutat. Phariſæi domum ingreditur, ibique publicam peccatricem in pœnitentiæ exemplum convertit. Patitur, ſe opprobriis onerari, ſibique mortem inferri, ut perfecte Salvatoris mundi munere perfungatur. Zelum, atque charitatem ſuam pro animabus oſtendit in paſtoris boni parabola ſumma cum ſollicitudine deerrantem ovem quærentis, eaque inventa lætitiam teſtantis. Illius etiam apertiſſima nobis tradit argumenta in lacrymis, quas pro futuro Jeroſolymæ effundit excidio; in ardore, quo ſuos invitat diſcipulos ad orandum, ut Pater ſuus mittat operarios in vineam, & quo illos ad eam excolendam hortatur; in miſeratione, qua ſe affectum præſefert videns tot populos, ovium inſtar ſine paſtore errantes; in ardenti deſiderio calicem Paſſionis ſuæ licet amariſſimum ebibendi; denique in ſancto illo amoris impetu, quo crucem ſuam amplectitur, eo quod erat futura ſalutis noſtræ inſtrumentum.

Zelum Apoſtolorum pro converſione populorum.

Ex quo Apoſtoli ſeſe Jeſu Chriſto devoverunt, ſumma cupiditate flagrarunt illi zelum ſuum teſtandi. In extremos uſque terrarum fines penetrarunt, ut illic idololatras invenirent, quos educerent, & peccatores, quos converterent. Viſi ſunt univerſum orbem peragrare hoc animati ſpiritu, ut populis omnibus annuntiarent evangelium. Ea quidem patrabant miracula, quæ in admirationem rapiebant populos, ventis, atque tempeſtatoribus imperabant, totaque natura illis quodammodo ancillebatur; ſed nihilominus eorum charitas, & zelus maximum erat omnium miraculorum. Itaque hic zelus efficiebat, ut cum voluptate, & alacritate honorem, vitamque ſuam ſacrificarent evangelii lumen laturi remotiſſimis regionibus, eiſque eam ablaturi caliginem, qua obrutæ erant; nullaque re melius evangelium commendabatur, quam zelo, & charitate eorum, a quibus prædicabatur.

S. Pauli zelus.

Satis explorati, compertique ſunt labores, curſus, & multitudo populorum, quos S. Paulus convertit, ut liqueat jure optimo hunc magnum Apoſtolum, vel antonomaſtice Apoſtolum nuncupari. Sed ille unus nobis exprimere potuit cordis ſui ſenſus, & ardens deſiderium, quo flagrabat converſiones fratrum ſuorum, quos Deo lucrari conabatur. Hoc ille paſſim in epiſtolis ſuis profitetur, præſertim vero in prima ad Theſſalonicenſes cap. 2. *Facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foveat filios ſuos; ita deſiderantes vos cupide volebamus tradere vobis non ſolum evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Memores enim eſtis, fratres, laboris noſtri, & fatigationis, nocte, ac die operantes ne quem veſtrum gravaremus, prædicavimus in vobis evangelium Dei.* Uſquamne majorem animadvertiſtis ſollicitudinem, zelum, amorem? Zelus ejus quamcumque jubet formam induere, ut ſe fratribus ſuis præbeat acceptum. Seſe dimittit, ſed ad pueri conditionem redigit. Nullus major, vel ſollicitior eſt amor, quam matris. Talis eſt amor S. Pauli. Solidum veri amoris argumentum eſt, cum parati ſumus vitam effundere. Pluries innotuit magni hujus Apoſtoli cor ſemper ita affectum fuiſſe. Quorſum enim tot ſollicitudines? Quorſum tot curæ? Quia S. Paulus maxima charitate ſuos fratres complectitur. Zelus illius ita vehemens eſt, ut nullam ipſi requiem permittat.

Poſtquam locuti ſumus de zelo Apoſtolorum generatim, inutile videtur referre, quomodo eorum ſinguli eum præ ſe tulerint, & immenſi operis eſſet eorum elogia contexere; veluti S. Andreæ, qui ſtatim ac Meſſiam cognovit, illum S. Petro fratri ſuo tradidit cognoſcendum. Nec minus enituit S. Petri zelus, etenim propterea Salvator illi gregis ſui curam commiſit. Nec minus inſignis eſt S. Jo: Baptiſtæ zelus &c.

Exemplum zeli nimium ardentis a Dei filio correpti.

Jeſu Chriſti diſcipuli petebant, ut ignis cœlitus dilaberetur in Samaritanos, & credebant ſe pro Dei gloria ſtare contra Sciſmaticos, qui illius merebantur ultionem. Exiſtimabant ſe ſaltem imitari Eliam Prophetam, cujus zelus tot laudibus exceptus fuit. Attamen zelum hunc improbat Dei filius dicens: Neſcitis, quonam ſpiritu agamini, innuens novæ legis ſpiritum longe ab antiquæ legis ſpirito differre; & ad animas Deo lucrandas, convertendos peccatores, eoſque Dei filios efficiendos, nec non illorum duritiam, ac pertinaciam infringendam, non aliis armis [illegible] eſſe, quam ſuavitate, patientia, & charitate.

Exempla falſi zeli.

S. Paulus perſequens Chriſtianos credebat [illegible] legem nutantem, ac jamjam lapſuram ſuſtinere poſſe. Fatetur ille zelum ſuum, non violentum duntaxat, inordinatumque fuiſſe; verum etiam falſum propter ignorantiam veritatis, cujus ratio perperam intellecta illum perſecutorem effecerat. Attamen falſo hoc ita ſuccenſus erat zelo, ut quacumque voce præter cœleſtem fuiſſet perculſus, illa in irritum ceſſiſſet; miraculoſa opus erat potentia, ut hic zeli ſpiritus ab errore in rectam viam revocaretur. Legimus in evangelio plura hujus falſi, indiſcreti, hypocritæque zeli exempla. Talis erat, Luc. 6. & 12. zelus Phariſæorum pro Sabbathi obſervantia, cum videbant Salvatorem ea die legem infringentem. Murmurabant, atque ſcandalizabantur, & falſo acti zelo eum inſimulant, quaſi legis prævaricatorem. Iidem Phariſæi, Matth. 15. falſo zelo majorem teſtabantur ardorem, ut ab aliis ſalvarentur traditiones, quas ipſi invexerant,

quam

quam ut Dei mandatis obtemperaretur. Talis etiam erat Matth. 26. zelus Judæ, aliorumque nonnullorum diſcipulorum, qui iniquo tulerunt animo, unguentum pretioſum ſuper Domini Domini caput a Maria Magdalena effundi, &c. Quot hujuſmodi illuſiones, quæ ad hanc quoque diem falſum zelum excitant, atque accendunt? Putant homines, eum, qui ipſorum inimicus eſt, Dei eſſe inimicum, & contra hunc fieri poſſe, quidquid animus ad iracundiam provocatus ſuadet.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

Zelus ſalutis proximi eſt ignis ille, quem Dei filius venit mittere in terram.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? Luc. 42. Neceſſe non arbitror dicere, celeſtem hunc ignem, quem Dei filius in terras attulit, nil eſſe aliud, quam ardentem charitatem, qua cor illius conflagitabat, & quam in omnium cordibus accendere cupit. Verum fortaſſe non animadvertiſtis divinum hunc ignem participem eſſe naturæ ignis illius, quo in terris utimur, qui ſe extendit, communicat, ſuaſque vires auget, cum alieno admovetur ſubjecto. *Charitas exæſtuat, teneri non poteſt, immenſitatem æmulatur*, S. Bernardus. Per hæc verba intellexiſtis, ut opinor, cœleſtem hunc ignem non aliud eſſe, quam ardentem charitatem, quæ tunc zelus appellatur, cum illi idem tribuitur objectum, quod in corde ipſius Dei habet ab æterno; videlicet ſalus animarum, & proximi converſio. Ubi autem eſt ignis, & zelus ardens? Jam ferme extinctus eſt: *abundavit iniquitas refrigiut charitas*, Matth. 24. Pauci videntur Chriſtiani zelo ſuccenſi; hoc deplorabile malum eſt: Sed Eccleſiaſtici nequaquam majori zelo flagrant, quam reliqui homines, & malum hoc adhuc eſt majus. Quis enim hominum zelum fovebit, quis illos excitabit, ſi illi ipſi, qui a Deo miſſi ſunt ad fratres ſuos animandos, mollem ducant vitam & ſua munera negligant!

Apoſtolorum zelus ſali comparatur.

Vos eſtis ſal terræ. Matth. 5. Mundi Salvator zelum apoſtolicum ſali comparat. Sane nihil animabus, earumque ſaluti utilius eſt: etenim illas a morum corruptione per doctrinam bonumque exemplum præſervat, eiſque amorem perfectionis inſpirat. Corrupta natura amiſit virtutum guſtum; paupertas, humilitas, pœnitentia illi videntur amaræ; ſed evangelicæ doctrinæ ſal eas tanta ſuavitate adſpergit, ut quamplurimi eas ſumma cupiditate conquirant. Corrupta natura vitium amat; omnia illius ſtudia in malum, ſuperbiam, intemperantiam, luxum prona ſunt; ſed hæc corrigit mala, atque ſanctum ciet horrorem earum rerum omnium, quæ cor humanum polluere poſſunt.

Omnes proximi ſaluti cooperari tenentur.

Mandavit illis Deus unicuique de proximo ſuo. Eccli. 17. Non eſt tibi character, vel ea, quæ requiritur ſcientia, ad verbum Dei annuntiandum, vel alios in viam ſalutis adducendos, prædica exemplo, & facem præfer illis, quibus dux eſſe non potes. Ea tibi adſunt officia, per quæ integrum non eſt peregre proficiſci ad perditas oves perquirendas; eſto familiæ tuæ Apoſtolus, atque curæ tibi ſit, ut ibi chriſtiana vita ducatur. Nullam habes in aliquem auctoritatem; in receſſu vivis omnino oculis hominum abſconditus, ſaltem lacrymis ea mala proſequere, quibus mundus refertus eſt; attolle manus ad cœlum pro illis, qui eidem bellum inferre conantur; nuncupa vota, ut Apoſtolicorum virorum labores bene, & feliciter cedant: verbo, fac, ut deſideria tua ſuppleant conatibus, quos non vales exercere.

Nihil eſt quod facere non debeamus animas Deo lucraturi.

Ite Angeli veloces ad gentem convulſam, & dilaceratam &c. Iſaiæ 18. In hæc verba, quæ oſtendunt, a Deo mitti evangelicos operarios, ut animarum converſioni cooperentur animadvertendum eſt, nequaquam ab illo dici, *Mittite*, ſed *ite*. Vos ipſi ite; ne alteri demandetis eam provinciam, quæ ad vos pertinet; neque alios vobiſmet ſurrogatis, ſed ipſi indeſinenter eidem vacate: *Ite*. Vos ipſi peccatores conquirite, ut ob eorum oculos repræſentetis ſtatum, in quo ſunt, eoſque urgete, ut quam primum illinc emergant. Si alia vos prohibent negotia, ſemovete illa, ut huic tanquam omnium maxime neceſſario curam omnem impendatis. *Ite*. Si opus erit aliqua vitæ hujus oblectatione, vel commodo carere, lucrum, quod inde referetis, veſtrum abunde reparabit detrimentum: *Ite*. Si carnis, ſanguiniſque vincula vos tenent, infringite illa; immo ſi ad opus adeo glorioſum ſanguis eſt effundendus, nunquid illius effundendi potior alia cauſa eſſe poteſt?

Quam plurimi pereunt, quia nemo eorũ ſalutem procurat.

Domine, hominem non habeo. Joan. 5. Quot peccatores hodierna die dicere poſſunt, quod olim Paralyticus Evangelicus, qui, cum octo & triginta annos ſecus Piſcinæ oram ſediſſet, Salvatori dicebat: *Hominem non habeo?* Tot annis in peccatorum cœno volutor, nemo enim miſertus eſt mei. Si mater hæc, quæ afflictim filium ſuum diligebat, ut chriſtianam decet matrem illum dilexiſſet, converſionis ejuſdem fuiſſet cauſa; ſi mundana uxor illa inſanæ zelotypiæ loco ſanctam habuiſſet, quam S. Paulus commendat, zelotypiam, virum ſuum de vitiis eruiſſet; ſi amicus ille honori ſibi vertiſſet non pati amicum interire, atheum in ſervum Dei commutaſſet. Sed ubinam gentium hujuſmodi ſolidæ neceſſitudines inveniuntur? Pro filio ſolliciti ſumus, ſed hæc prorſus Ethnica eſt ſollicitudo; pro amico zelum habemus, ſed eum zelum, cui deeſt fidei, & charitatis character.

Quantum noceat eccleſiæ falſus zelus.

Accendatur velut ignis zelus tuus. Pſal. 78. Zelus miniſtrorum Domini eccleſiæ magis obeſt, quam proſit, cum Sanctorum ſcientia non illuſtratur. Propheta illum comparat igni. Sicut enim ignis maximæ utilitatis eſt hominibus, cum in uſum ipſorum adhibetur cum iis præcautionibus, quibus illius vis regitur, & coercetur; ita nullum eſt elementum, quod majora pariat mala, cum vehementi perflatur vento in nemoribus, & urbibus, quas in cinere redigit.

Vide miniſterium, quod accepiſti, ut illud implens. Ad Coloſſ. c. 4. Cogitate, inquit Apoſtolus, indeſinenter cogitate; quid in miniſterio veſtro ex vobis expetat Dominus, eoque perfungimini ea, qua fieri poteſt, diligentia. Ubinam illi ſunt, qui omnem vocationi ſuæ tribuunt extenſionem? Vanitatis fines pro viribus proferuntur, ſed fines charitatis multo magis coarctantur. Contemnendum cenſetur trophæum animæ popularis, quam Jeſus Chriſtus proprio redemit ſanguine, atque principum dumtaxat virorum ſaluti opera impenditur. Integri conceduntur dies viris, & mulieribus, qui ſummo loco nati, opibuſque affluentes ad confeſſarii pedes confugiunt; alii vero vix horæ quadrans impenditur.

Dei filius negligentes exprobrat operarios.

Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis. Joann. 4. Hoc Dei filius exprobrare poteſt illis, qui evangelico perfuncti miniſterio ſalutem animarum negligunt, vel oſcitanter munus adeo neceſſarium obeunt: *Alii laboraverunt*. Tot viri vero ſuccenſi zelo, laboribus, curiſque confecti fuerunt, ut fratrum ſuorum ſalutem procurarent, vos autem tot annos, totumque vitæ veſtræ ſpatium [illegible] videntes agrum, ubi non deeſt meſſis uberrimæ ſpes, ſi diligenter excolatur? *Alii laboraverunt*. Alii ſudarunt, atque laboribus confecti ſunt, vos autem languebitis, & requiem amabitis, quin cogitetis, labores Dei in irritum abituros, niſi juſta ejuſdem conſilium, ac finem & ipſi fueritis operati? Timeo quidem tanquam acerbiſſimum exprobrationis genus, vel terribiles minas hæc Salvatoris verba: *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci*. Matth. 9. Mihi ſunt agri immenſi, & quibus affluentiſſima ſupetit meſſis, terra fertilis eſt, cœli influxus benigni, plurimi fideles agricolæ ibi jam lætiſſimam egerunt meſſem, diemque ſum abſolverunt; ſed illi, quos locavi, ut opus iſtud proſequerentur, ne manum quidem illi admovere dignantur.

Vocatio particularis eorum qui ad homines convertendos ſunt deſtinati.

Venite, faciem vos fieri piſcatores hominum; Matth. 4. Hæc verba ſunt, quæ Salvator aliquibus ex Apoſtolorum numero dixit, ut illos ad ſui ſequelam invitaret promittens ſe illorum conditionem immutaturum, & ex piſcatoribus piſcium hominum piſcatores effecturum; homines videlicet aliis hominibus convertendis, & ad Dei cultum perducendis deſtinatos. Hæc autem verba indicat non electionem ſolum ab ipſo factam virorum Apoſtolicorum, ſed etiam utiles vocationis eorum conditiones: *Venite*. Illi, quos Dei filius vocavit, illico paruerunt: nullam præſetulerunt excuſationem vel negotiorum, vel imperitiæ, vel difficultatum, quas novo hoc in munere poterant prævidere: *Venite poſt me*. Nequaquam evocat illos, ut per ignota viarum ſine duce iter inſtituant: qui ſe illos venire jubet, ad ipſe illis oſtendit viam: *Venite poſt me*; neque ab illis ulterius quidquam fieri petit, quam quod ipſum facere videbunt. Nullum ipſi laborem patientur, nullum adibunt diſcrimen, nullum ferent incommodum, quod ille non pertulerit primus, verum etiam non minorem illis mercedem proponit ea, quam ipſe conſecuturus eſt.

Pretium animarum quæ imbutæ ſunt ſanguine Salvatoris nos excitare debet, ut Deo illas lucremur.

Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus. 2. ad Corinth. 4. S. Bernardus hæc vera argumento de quo loquimur, applicat. Supponit animas, ſi in ſe ipſis conſiderentur, non aliud eſſe, quam vas fictile, ſed pretioſo liquore plenum, videlicet ſanguine Dei, quo ille imbutæ, & omnino plenæ ſunt. Secundo, paſtores, ſuperiores, homineſque Apoſtolicis miniſteriis vacantes earum cuſtodes eſſe, atque ſequeſtres, ideoque

que his earum rationem eſſe reddendam, ita ut ſi quæ ex illis eorum pereat culpa, aut negligentia, iſti animæ propriæ detrimento pœnas daturi ſunt. Hæc ſunt D. Bern. verba, quibus ne apicem quidem addere volo; *Si ſtilantem*, ait ille, *de cruce Domini ſanguinem collegiſſem, eſſetque repoſitus apud me in vaſo vitreo, quod portare ſæpius oporteret, quod animi habiturus eſſem in diſcrimine tanto? At certe pretioſiſſimum animarum theſaurum ſervandum accepi, pro quo Chriſtus mercator non inſipiens totum ſuum ſanguinem dedit. Si tantum depoſitum, quod ſibi Chriſtus proprio Sanguine pretioſius judicavit, contigerit negligentius cuſtodire, quo me vertam infelix?*

Ex Paſtoribus zelo carentibus J.C. rationem expetet peccatorum, quæ patrantur, animarũ quæ pereunt.

Revelabitur ira Dei ſuper omnem impietatem, & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent. Ad Rom. 1. Paſtores muti quos Dominus mortua vocat idola, quia oculos habent, & non vident, aures, & non audiunt, os, & non loquuntur, vel potius, quia non audent inſurgere contra ea, quæ vident. Ex vobis repoſcetur ratio ovium deerrantium, quas unico ictu pedis, hoc eſt oppoſito ad erudiendum verbo cum aliis retinere potuiſſetis; ex vobis repoſcetur ratio prophanationis, & abuſus Sacramentorum; verbo, ratio eorum malorum omnium, quæ vigilantia, atque præceptis, quæ illis negaſtis, potuiſſetis avertere &c.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, ſententiæ SS. Patrum hujus argumenti.

Munus ſuum ut præſtet Apoſtolus, magis eſt opus pietate orationum, quam oratoris facultate; ut orando pro ſe, & pro illis quos eſt allocuturus, prius ſit orator quam doctor. Aug. lib. 4. de Doct. Chriſt. cap. 15.

Zelo domus Dei comeditur, qui omnia perverſa quæ videat, cœpit emendare, & ſi emendare non poteſt, tolerat & gemit. Idem, in Joann. cap. 3.

Ille in charitate Dei eſt perfectior, qui ad ejus amorem plures convertit graviſſimumque Deo ſacrificium zelus eſt animarum. Idem.

Si Deus peccatores non amaret, de cœlo ad terram non deſcenderet. Idem, tract. 49. in Joann.

Nemo dicat, admonere non ſufficio, adhortari idoneus non ſum, quantum potes exhibe, ne male ſervatum talentum quod acceperas, in tormentis perdere cogatis. Greg. Homil. 6. in Matth.

Zelum qui habent, omnes ſibi inimicos putant, qui ſunt hoſtes Dei, quamvis patrem, fratres, ſorores. Idem in Exod.

Nihil ita gratum Deo, & ita cura, ut animarum ſalus. Chryſ. Hom. 3. in Geneſ.

Quid huic zelo poterit æquiparari? Quod neque jejunium, neque humiliationes, neque pervigilia, neque aliud quidquam poteſt efficere, efficit procurata ſalus Idem, tract. 5. adverſ. Judæos.

Etſi ingentes erogaverit pecunias pauperibus, plus tamen effecerit, ſi converterit animam, Idem ibid.

Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum. Greg. Hom. 12. ſuper Ezech.

Omnium divinorum diviniſſimum eſt cooperari Deo in ſalute animarum. S. Dionyſ. de Cæleſti Hierarch. c. 13.

Quid eſt zelus, niſi intima quædam ſtimulatio charitatis, pie nos ſollicitantis emulari fraternam ſalutem: Bern. Hom. 58. in Cant.

Quomodo qui poteſt dicere, ſe diligere Deum, & ejus amorem appetere, qui ejus imaginem videt in ſterquilinio jacere, & non curat? S. Bonav. in Phar. div. amoris.

Abſque igne quis ignem accendat? & ſine charitate quis officia charitatis conſummabit? Ardeat flamma dilectionis in te, quatenus calore tuo proximorum excutiatur ſopor, imo accreſcat amoris incendium. Laurentius Juſtin. Hom. 25. in 1. ad Corinth.

Neſcio an majus poſſit homini beneficium a Deo conferri, quam ut per ejus obſequium alii conſequantur ſalutem. Richard. a S. Victore.

Paſſione interdum movemur, & zelum putamus; parva in aliis reprehendimus, & noſtra majora pertranſimus. Lib. 1. de Imitat. Chriſti, cap. 5.

Habe zelum primo ſuper teipſum, & tunc juſte zelare poteris proximum tuum. Idem.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento depromi poſſit.

Quid ſit zelus animarũ ejuſque definitio.

Animarum zelus eſt charitatis, & divini amoris effectus; eſt ardens, ignitumque deſiderium, quod mortales omnes Deum ament, colant, eique ſerviant: quod deſiderium, cum inhibetur, inſignem parit triſtitiam, quia Deus a peccatoribus læditur, & afficitur contumelia; itaut cum malo huic medela afferri non poteſt, a mœrore, lacrymiſque minime abſtineatur. Quamobrem in Scripturis vocatur ignis devorans eum, qui ejuſdem experitur ardorem. Qua in re animadvertendum eſt, cum dicitur zelus animarum, non coarctari ſignificationem zeli generatim ſumpti; qui eo in ſenſu, in quo a nobis accipitur, ardens eſt deſiderium procurandi, atque extendendi pro viribus gloriam Dei, necnon fidem, ac religionem tuendi, inſurgendi in eos, qui Dei legem infringunt, inhibendi ſcelerum curſum, corrigendi abuſus, & crimina, gemendi, atque dolendi, cum malum prohiberi non poteſt. Sed cum hæc omnia fiant propter ſalutem animarum, quæ creatæ ſunt, ut Deum colant, eique famulentur, hæc duo, quæ arcto inter ſe vinculo cohærent, conjungimus, videlicet deſiderium animas ſalvas faciendi, & deſiderium prohibendi, ne Deus lædatur iis ſceleribus, quæ in mundo patrantur.

Quibus actionibus noſtrum pro ſalute animarum teſtari zelum poſſimus.

Actiones, quibus teſtamur zelum, quo flagramus, procurandi ſalutem proximi, ac ſuperandi obices, qui illi opponuntur; hæ, inquam, actiones triplicis ſunt generis. Primæ illæ ſunt, per quas chriſtianæ veritates docentur mente hac educendi peccatores ex tenebris cæcitatis, illos erudiendo qua publicis, qua privatis ſermonibus, eiſque divinæ legis cognitionem tradendo, ut ad eam ſequendam, obſervandamque impellantur. Secundæ illæ ſunt, quæ vitia coercent, veluti correctiones, leges, vel regulæ, quæ proponuntur ad homines in officio continendos, vel efficiendum, ut Deus ab illis colatur. Tertiæ ſunt cœpta laude digna pro bono animarum, & converſione peccatorum, cujuſmodi ſunt miſſiones, aliaque id genus opera bona ab hunc finem accommodata.

Præſtantia, & meritum zeli animarum.

Præſtantia, & meritum zeli hujus deſumitur ex eo, quod præſtantiſſimus eſt effectus duarum eximiarum virtutum, charitatis videlicet, & religionis. Charitas palam ejus principium eſt; quippe zelus eſt ardens deſiderium cooperandi ad ſalutem proximi propter amorem, quo illum complectimur propter Deum qui eo uſque diligit ipſum, ut pro illo vitam impenderit, atque ad eum redimendum ſanguinem ſuum effuderit. Actus eſt etiam religionis, primum enim zeli objectum eſt cultus Dei; eſt enim deſiderium efficiendi, ut ab omnibus colatur, & prohibendi, ne afficiatur injuria. Itaque zelus, proprie loquendo a Deo tamquam a principio ſuo fluit, & redit ad Deum tamquam finem; non ſecus ac charitas, cujus hic zelus eſt tanquam ardor, & præcipuus effectus, a Deo proficiſcitur, & revertitur ad Deum nos ad eumdem impellens. Itaque zelus, non ſecus ac charitas duos habet motus; quorum alter eſt quærere, & amplecti, quidquid animarum ſalutem procurare poteſt: alter vero obluctari contra ea, quæ illam prohibere poſſunt.

Neceſſitas cooperandi ſaluti proximi ſui ſecundum vires, & ſtatus ſuos ad omnes pertinet mortales.

Plerique zelum reſpiciunt tanquam virtutem, quæ Apoſtolicorum dumtaxat virorum eſt propria, at nihilominus non minus illum, quam eamdem charitatem, cujus effectus eſt neceſſarius, exercere tenemur. Nullus eſt zelus ſine charitate; ſed viciſſim quoque charitas nulla ſine zelo. Mandavit Deus unicuique de proximo ſuo, ſed non eadem ratione. Publicæ perſonæ, quæ in aliquo dignitatis gradu ſitæ ſunt, vel aliqua pollent auctoritate, hac, inquam, auctoritate, qua in alios pollent, ad ſalutem illorum procurandam uti debent. Patris familias eſſentiale munus eſt cooperari ſaluti familiæ ſuæ; animum ad filiorum ſuorum inſtitutionem tranſmittere; efficere, ut famuli in fide erudiantur, eoſque chriſtianæ vivendi rationes docere. Si hac deficiente cura peccant, ſi illi pereunt, ratio ex patre, dominoque erit expetenda, qui ſalutem eorum negligere non poteſt, quin in diſcrimen adducat ſuam, damnatio animæ eorum certiſſime ſecum trahit damnationem animæ illius; & Deus dicit illi per os Prophetæ, tu reus es mortis eorum; tu rationem redditurus es animæ illorum.

Verus zelus nunquam deterretur, cum ea, quæ ſecundum prudentiæ leges facere aggreſſus eſt, non cedunt ex ſententia. Noſtrum eſt conſilia inire, noſtros conatus exercere; ſed unius Dei eſt efficere, ut bene, ac feliciter eveniant. Nimis felices ſumus pro Deo laborantes, licet etiam labores noſtri fructu ſuo fraudarentur. Noſtrum eſt benedicere illi, ejuſque adorare conſilia, quæ ſemper juſtiſſima ſunt. Hoc igitur nobis eſſe debet principium, ut propter Deum agamus, ut vias illius ſequamur, ut noſtris adhæreamus officiis. Poſt hæc ſi obices nanciſcimur, ad eum confugiendum eſt, qui noſtra eſt virtus, noſtrumque robur, neque animos deſpondere debemus.

quirunt gloriam ſub hac ſpecie gloriam Dei procurandi. *Idem.*

Deſcriptio veri zeli.

Verus zelus eſt ardens deſiderium augendi gloriam Dei, ideoque evertendi quidquid hanc gloriam poteſt imminuere. Sancta eſt ambitio protendendi imperium Jeſu Chriſti, ac de hoſtibus illius triumphandi; ſenſus eſt chriſtianæ miſerationis, quæ nos adigit ad animarum ſalutem procurandam, efficitque, ut earum, quæ intereunt, vicem doleamus. Denique hic motus eſt interior, ac ſupernaturalis, quo agitur anima ad religionis victorias perſequendas, atque peccati mala avertenda, & qui efficit ſaltem, ut in gemitus, & ſuſpiria erumpat, cum nequit facere bonum, quod cupit, vel prohibere malum, quod horret. *Ex eadem collectione ſermone tertio.*

Hominis zelo ſuccenſi deſcriptio.

Vir propter Dei gloriam zelo ſuccenſus eſt Phinees, cujus zelus non ſuccenditur, niſi quod reipſa videt Dei legem infringi; Moyſes eſt deprecans pro ſeditioſis, quorum murmurationibus laceſſitur, & juſtitiæ gladium diſtringens contra proximos, ut illatam Domino ſuo injuriam perſequatur; Elias eſt in ſolitudinem ſe recipiens, ut cœli recipiat mandata, atque in mundi lucem prodiens, ut eadem enuntiet; eſt Joannes Baptiſta in deſerto libenter æque ac in aula prædicans, & in aula audacter æque ac in deſerto; alter eſt Sanctus Paulus, qui ardet, ubi minimo fratrum ſuorum ſcandalum videt inferri; qui ſe infirmum cum infirmis, ac omnia omnibus facit, ut omnes ſalvos faciat; & qui non oblitus ſe imis æque ac ſummis, ſapientibus æque ac ſimplicibus debere, ex æquo utriſque ſuam impendit operam, neque cum illis diverſa ratione agit, niſi pro diverſis eorum neceſſitatibus. *Idem.*

Vir zelo ſuccenſus perfecte cognoſcit pretium animæ ad imaginem Dei creatæ, redemptæ ſanguine Jeſu Chriſti, ac æternæ gloriæ deſtinatæ. Sincere proximum ſuum reveretur, unice illum diligit, potenter ſaluti ipſius cooperatur; & quemadmodum vellet ex toto corde omnes homines ſalvos facere, ſi fieri poſſet, amaris proſequitur lacrymis calamitatem illorum, qui pereunt, peccati dolore infectus, non ſolum quod illa Deum lædunt, verum etiam quod damnant peccatorem. Ita Sanctus Paulus Judæorum deflens cæcitatem profunda triſtitia correptus, acrique dolore tabeſcens, admirabili zeli magnitudine actus cupiebat pro fratribus ſuis anathema fieri . . . Præterea votorum ſuorum motum ſecuturus generoſo conatu, & mente, & corpore in remotiſſimas, barbariſſimaſque terras advolat. Patria, familia, conſanguinei, amici illumne remorari poteſtis? Labores, pericula, calamitates, ſupplicia illumne deterrere poteſtis? Delicatiſſima quæque vincula, obices teterrimi nequicquam veri Apoſtoli conſtantiæ adverſantur; nihil formidans niſi ſpiritualia proximi ſui mala, ubique imperterritus niſi coram ſuprema Creatoris ſui majeſtate, omnes occupationes, quibus inhibetur, in præcipua triumphi ſui argumenta convertit. *Idem.*

Vir Apoſtolicus ab omnibus terrenis rebus eſſe debet avulſus.

Nonne ob Iſaiæ prophetæ oculos verſabatur hæc perfecta apoſtolicorum virorum a terrenis rebus ſeparatio, cum illos nubibus comparabat, ad ventorum arbitrium in aere volantibus, quæ non ſolum ſupra inferiorem mundi regionem ſublatæ ſunt, verum etiam ſe ipſas exhauriunt, ac in pluvias diſſipant, ut terras uberiores efficiant: *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant?* Iſai. 60. Vir Apoſtolicus unice ſequens afflatum divini ſpiritus, quo animatur, non ſolum elevatus eſt ſupra omnem mundum carnalem, verum etiam ſe ipſum exhaurit, laboribuſque conficit, ut illum ſanctificet, toto cœlo abhorrens a flagitioſa mollitie pſeudo apoſtolorum, qui facile ſe ipſos diſpenſant ab ea pœnitentia, quam prædicant aliis, & fortaſſe legis ſumptibus reparant aſſertos labores, quibus ad illam docendam afficiuntur. Verus Apoſtolus ſeſe totum zelo ſuo devovet, non quieti, non valetudini parcit, immo neque vitæ. Eam objicit, prodigitque quocunque profecturus, quo illum Dei evocet gloria, & contemnens quidquid in mundo horribilius eſt; S. Paulum imitatus graviſſima provocat pericula, ſæviſſimaſque perſecutiones, moleſtiſſima ſuffert incommoda, famem, ſitim, tempeſtatum injurias, rerum omnium egeſtatem evangelium annuntiaturus. Dignus evangelii miniſter, qui propriis ſumptibus Domini vineam excolit, qui ſine querela pondus diei, & æſtus ſuſtinet; fidelis ſervus, qui ſudoribus & ſanguine ſuo agrum, quem colit, irrigat: paſtor bonus, qui ſua ſubſtantia ſaginat ſibi commiſſas oves, quin ex earum vellere quæſtum facere velit; fervens duntaxat miniſter, qui, quin ex meritis gloriam aucupetur, ſe ipſum ſuo impendit miniſterio, quin inde aliud quam Dei ſui gloriam promovere contendat. *Idem.*

In ſtrenuis Imperatoribus admiramur victas gentes, oppida capta, populos iſtorum ditioni ſubactos: quid autem inter hæc omnia humanas excedit vires, quæ augendæ ſunt, prout augetur reſiſtentia, quæ ſuperanda eſt, ut votorum ſummam conſequaris? Sed obduratum cor peccatoris confringere, qui ſuo oblectatur ſcelere; hæretici pertinacis mentem, qui pro errores veritatem accepit, perſuadere; fidei jugum imponere flagitioſo homini in omnes libidines effuſiſſimo, cui non aliud eſt numen, quam cupiditas ſua, nec alia fidei ſuæ norma, quam ratio corrupta; ſubjicere religionis officiis barbarum, qui vix humanitatis ſenſibus patet; hoc unius eſt Dei; hæc opera ſunt omnipotente digna; mutationes ſunt, quæ nonniſi ab Altiſſimi dextera proficiſci poſſunt, & quæ homo, quicumque ille tandem ſit, certo ſibi polliceri non poteſt. *Idem.*

Quam glorioſum ſit animas Deo lucrari.

Quinam eorum honor eſt, quos Deus in magnorum id genus operum ſocietatem vocat, quæ non ſolum ſupra omnes humanas actiones elata ſunt, verum omnia etiam Dei opera excedunt? Hæc verba ſunt S. Dionyſii: *Divinorum omnium diviniſſimum eſt cooperari Deo in ſalute animarum.* Quantumvis glorioſus ſit hic cooperatoris Dei titulus, nonne illum meretur Apoſtolus? Si difficultas miraculi, quod perficiendum eſt, ut Deo animas lucrentur, cauſa fuit, ut ex omnibus divinis virtutibus hæc propius ad Deum accedere diceretur, nonne quodammodo humanam excedere naturam debemus, ut aggrediamur opus tam difficile, præſertim vero, ſi, quod plerumque accidit, ſine ulla naturali ope illud aggrediamur? *Idem.*

Conſolatio quæ ex animæ converſione percipitur.

Si gravi aliqua in re de republica bene fuiſſetis meriti, & Principis gratiam conſecuti, ſi quem ex amicis ab interitu vindicaſſetis, vel aliquid ſolum fortunæ illius conſuluiſſetis, vobiſmet clanculum plauderetis, & incredibili lætitia perfunderemini, vel ob juſtæ remunerationis ſpem, vel ob ſolam recte facti voluptatem. Lætamini ergo, & præ gaudio exultate, ſi ita felices eſſe potuiſtis, ut cooperaremini ſalutis alicujus animæ, quæ jam cœleſti gloria perfruitur. Univerſorum Domino aliud, quod maximum afferri poſſit, beneficium attuliſtis, atque cumulatiſſimo eum munere donaſtis; vobis gratias debet, & ne dubitetis, quominus & referat. Fratrem veſtrum ex malorum omnium teterrimo eruiſtis, qui, ut accepti beneficii vobis referat gratiam, voſmet conatur participes facere boni illius, ad quod ipſi aditum aperuiſtis. *Idem.*

Neque tam reſpiciendum eſt bonum, quod zelus afferre poteſt, quam malum, cui debet mederi. Ignis, quo David conflagrabat, eo magis accendebatur, quo magis intuebatur opprobria, quibus Dei domus afficiebatur. Vultiſne eoſdem ardores experiri? Conſiderate parumper horribilem ſtatum, in quo univerſus orbis, immenſum hoc divinitatis templum invenitur erga immenſum, & omnipotentem ſpiritum, a quo fuit ædificatus. Magnitudo illius ferme ignota eſt, præſentia ejus oblivioni tradita, & voluntas ejus non adimpleta. Hominum plerique in ignorantiæ, vel infidelitatis tenebris ſepulti ſunt; qui majori præ cæteris lumine pollent, ſuis obſequuntur deſideriis, vel inſanis opinionibus ſuis abditi in viam perditionis excurrunt. Videte humani generis faciem omni ſcelerum genere fœdatam; iniquitatem ubique exundantem, lateque graſſantem, corruptionem palam effuſam, atque in ipſum uſque chriſtianæ religionis ſinum radices jacentem. Eminus proſpicite; videte calamitoſiſſimas gentes, quæ adhuc ſedent in tenebris, & in umbra mortis, ubi impenetrabili providentiæ conſilio in profunda cœcitate demerſi vitam traducunt. Hoc eſt zeli veſtri objectum &c. *Idem.*

Ad quid zelus Apoſtolicos homines impellat.

Quotidie auribus noſtris accidit, homines ardenti charitate plenos patriæ ſuæ deliciis extremum vale dicere, terras, & maria traducere, atque per ſexcenta pericula in extremas uſque terrarum oras contendere ad animas convertendas, & Jeſu Chriſti imperium proferendum. Ubique terrarum videntur novi id genus Apoſtoli omnibus auxiliis deſtituti, qui in fatigentur unquam, operam navare, ut ſerviant ingratis, ut erudiant barbaros, ut obſtinatis perſuadeant hoc uno conſilio, ut Deus ab omnibus illis gentibus colatur; ſemper contumeliis, & odiis patentes eorum, quos ſalvare volunt, ſæpe illorum furori, vel injuſtitiæ expoſiti, dolentes ob crimen, quod committunt idololatræ, a quibus ad cædem rapiuntur, ſed ſe beatos exiſtimantes, quod ſuum offerre poſſunt ſanguinem pro illis, a quibus effunditur, & pro gloria illius, qui effudit ſuum pro illis. *Idem.*

Verus zelus eſſe debet cũ mãſuetudine conjunctus.

O Deus, quænam hæc in re noſtra eſt illuſio! Miniſter evangelicus nonne his temporibus miniſterii ſui prævaricator exiſtimaretur, ſi per ſuaves, amabileſque vias ad divinum paſtorem oves adducere conaretur? Neque ideo putes a me improbari ſanctam hanc ſeveritatem, qua ſemper uſa eſt eccleſia; neque me odiſſe chriſtianam pœnitentiam fidelibus animabus adeo acceptam, peccatoribus adeo utilem, & ſæpe toto etiam inſpectante populo exercitam. Scio equidem, ſcelus probandum non eſſe, ac mollem indulgentiam; temereque adhibitam manſuetudinem parere poſſe graviſſimam perniciem. Utinam videamus veterem illam primævæ eccleſiæ diſciplinam refloreſcere, & canones illius obſervari! Sed nullæne ſunt occaſiones, in quibus clementia, & benevolentia erga peccatorum ſint adhibendæ? Niſi tonitru perſtrepuerit, niſi minæ fuerint intentatæ, niſi fulmina fuerint contorta, nemo ad J. C. revocari poteſt? Nunquid decepti fuere tot Sancti, ubi crediderunt apoſtolici viri munus eſſe ut plurimum in nequiſſimas etiam animas ſanctis artibus, ac illecebris obrepere; nunquid Domine minus gloriam tuam, ſalutemque fratrum ſuorum procurarunt, eo quod ſunt indulgentia? O Domine tua agendi ratio inceſſanter oppoſita docet, & & quo attentius illam ad examen revoco, eo magis mihi perſuadeo, te velle, nos eamdem imitari. *Sermo manuſcript. P. Stephani Chamillard in Samaritanæ evangel.*

Nihil exaggerat, qui dicit, eos, quibus Deus aliquarum animarum ſalutem commiſit, eſſe quodammodo ſanguinis, & meritorum J. C. ſequeſtres. Hic ſanguis, & hæc merita illis cœlum aperuerunt, ac eos illuc debent adducere; ſed eorum, qui ſanctificationi ipſorum invigilare debet, intereſt hæc illis efficere ſalutaria. Nequicquam Dei filius perpeſſus erit; nequicquam mortem oppetierit, niſi animæ iſtæ præſto fuerint, ut de paſſionibus, & morte illius fructum percipiant. Illæ non erudiuntur, pravo ſuo traduntur ingenio, vitam ducere ſinuntur, quaſi beatæ immortalitati deſtinatæ non eſſent; nonne hoc eſt inferre injuriam Salvatori mortalium omnium, illius miſericordiam contemnere? Dicere poſſumus Salvatorem pluris feciſſe has animas, quam proprium ſanguinem, quandoquidem ad illas redimendas ſanguinem effudit ſuum. Illi, quibus harum animarum ratio reddenda eſt, nonne multo magis reddenda erit adorabilis hujus ſanguinis? Parum ſane Chriſtianus eſſe debet, qui fraudare vult Redemptorem iis bonis, quæ ex cruciatibus, & amore ſuo percipere voluit: & crudelem eſſe, opus eſt, illum, qui proximum ſuum Redemptionis fructu fraudare contendit. Quam rationem patres domini, ſuperiores, & omnes illi, qui ſtatus ſui vi tenentur fratrum ſuorum ſaluti adlaborare, ſunt aliquando reddituri & ſanguinis J. C. quem quodammodo injuſte detinuerunt, & infelicium animarum, quibus illum diſpenſare abnuerunt? *Liber, cui titulus: Animadverſiones in varia relig. argument. &c.*

Mœrore confici non debemus cum eventus non reſpondet ardori zeli noſtri.

Zelus ſuſpicione minime vacat, cum eventus, qui illi non favet, tanto cum mœrore conficiunt, ut animus deſpondeat, & nonnumquam etiam extinguatur. Si rectus eſſet, atque ſincerus, inveniret cauſas, quibus ſe ipſum excitare poſſet in iis, ob quæ mœrore conficitur. Quænam eſt hæc cauſa homini, qui cupit Deum glorificari, & qui gloriæ illius poteſt inſervire? Deus in honore non habetur, illi non ſervitur, gloria ejus contemnitur; igitur non eſt, cur amplius me iis rebus immiſceam, in quibus de illius honore & cultu agitur. Si verum eſſet, hominem hunc Dei gloriam quærere, e contra argumentaretur: quandoquidem alii non admodum flagrant cupiditate gloriam Dei procurandi; quandoquidem omnia, quæ ineuntur, conſilia animo efficiendi, ut ab omnibus colatur, in irritum cedunt, obluctandum eſt contra mortalium & negligentiam, qua Dei obliviſcuntur, & nequitiam, qua illum dedecorant... Cum aliquis adeo levi negotio deterretur, palam oſtendit ſe magis iis rebus affici, quæ ad ſe, quam quæ pertinent ad Deum. Fortaſſe per ignaviam reformidat laborem; fortaſſe per vanitatem deſiſtit ab opere, quod niſi e voto cederet, illum aliquo rubore ſuffunderet; invidia fortaſſe efficit, ut iniquo ferat animo competitorem, cum quo unanimi, conflatoque conſenſu agendum eſt. Operi manum admovere detrectat, ideo proculdubio, quia ingenii ſui ratio non ſatis diligens habita fuit, aut quia in opere eodem perficiendo vel non ſolus, vel minus, quam alii, eniteſceret. Credendi ſubeſt cauſa, ſecreta quadam ſimultate, ac iracundia bono viro prorſus indigna in otio eum retineri. Verus zelus in actionibus ſuis Deum tantummodo conſiderat, nec minus unquam languet, quam cum Dei gloria magis periclitatur. *Idem.*

Zelus falſus, & cupiditate minime vacuus.

Non deeſt zelus ad tuendam diſciplinam, neque reformidat aliquis illum licentiæ, & ſæculi nequitiæ opponere; ſed ſæpe fallimur; hic enim diſciplinæ

zelus, alioquin adeo laudabilis, & neceſſarius, nullis nobis ſtat ſumptibus in colloquiis, in cœtibus, in libris, in ipſis etiam ſuggeſtibus, publiciſque concionibus; intra hos fines illum continentes nullum percipimus incommodum, e contra vero illum nobis honoris vertimus, & abuſus eo uſque procedit, ut licentia ipſa hunc loqui ſermonem conſueverit; hac enim lingua omnes vulgo utuntur, artemque invenimus hæc omnia impune efficiendi, dummodo ſevere loquamur. Uſſine unquam viſi ſunt hypocritæ hac arte fulciri, ac humano generi imponere? Nonne quotidie perditos homines audimus eloquenter verba facientes de reformatione, ac morum cenſura? Dolus hic jam adeo communis eſſe cœpit, ut vix aliquis eo decipiatur. *P. Bourdalove ſerm. de evangilica ſeveritate.*

Magna gloria eſt animas Deo lucrari.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus affirmat, unam Deo animam lucrari, unum illud eſſe, de quo hoc in mundo gloriari poſſimus, & quibuſcumque laboribus confici poſſimus, gaudium ex unius animæ, cujus quæſtum fecimus, ſalute profectum debere omnibus laboribus noſtris oblivionem inducere. Hæc illa ovis eſt, quæ deerraverat, & quam humeris impoſitam paſtor refert in ſepta: hæc illa drachma eſt, & margarita reperta. Poſt labores ad finem hunc exantlatos lætandum magis eſt, quam dolendum. *Auctor Anonymus.*

Quamvis animæ omnes nobis æque jucundæ eſſe debeant, quia coram Deo ſunt æque pretioſæ, dicere nihilominus poſſumus, quod Deo inſignes auctoritate viros lucrari, eſt plures ſimul lucrari; quaſi principibus, nobilibuſque viris plures veluti annuli adhærerent, ita ut uno eorum pertracto alii tamquam in catena ſubſequerentur. Purpura eorum, vetus quidam auctor dicebat, occultam vim habet, qua plurimos ſecum trahunt. Quocumque illi ſe vertant, magni proculdubio ſit ponderis acceſſio; cum damnantur, ac miſere pereunt, rebellem imitantur Angelum, qui lapſu ſuo tres cœli partes ſecum pertraxit; verum ubi feruntur in bonum, plures ſuo illuc attrahunt exemplo, & magnifica ſtipati caterva in cœlum proficiſcuntur. *Auctor Anonymus.*

Qui ſeſe devovet Deo, alios quoque illuc ferre pro viribus debet.

In natura mirum eſt videre, cum illa ad operis alicujus productionem incumbit, ad illud etiam extendendum, atque multiplicandum incumbere. Nullus unquam efformatur fructus, quin ſimul efformetur & ſemen ad illum iterum producendum. Verum œconomia hæc æque ſaltem admirabilis eſt in gratia: hæc nunquam format animam, eamque novam efficit in Jeſu Chriſto creaturam, ut cum S. Paulo loquar, quin illum ſimul diſponat eodem momento ad communicandum vel per exempla, vel per ſermones eſſe illud ſupernaturale, quod accepit. Statim ac Andreas Jeſum Chriſtum agnovit, hunc Petro fratri ſuo tradidit cognoſcendum; ſimul ac eumdem Philippus invenit, hic ad illum Nathanaelem adduxit; mulier Samaritana, quam nuper converterat, ne uno quidem momento continere valens ignem, quo cor ſuum æſtuabat, currit, ut igne eodem totam civitatem ſuccendat: *venite, & videte.* Illi omnes, quos gratia Jeſu Chriſti amore accendit, zelo quidem flagrant: non zelotypia. *Formentieres Sermone in Samaritanæ evangelium.*

Zelus vitare debet nimiam ſeveritatem, & nimis mollem indulgentiam.

Nihil adeo periculoſum eſt, quam malum, cui falſi zeli accedit auctoritas, quam erroris, amor ſub ſpecie vitæ frugi, quam arcta morum diſciplina cum fidei licentia conjuncta; ſed ſi charitati opponatur ſeveritas, cum hanc ſpiritus manſuetudinis non moderatur, manſuetudo ipſa quibuſdam in occaſionibus non minus eidem opponitur, cum deeſt illi ſeveritatis acceſſio, quoniam tendit ad ordinis relaxationem vel nimia indulgentia, vel pavida regendi ratione. Et ſane clementia pernicioſa eſt, ubi ſeveritate opus eſt, & ſilentium noxium eſt, cum eſt loquendum. Prævaricator eſt, qui in occaſionibus tacet, ubi correptio, & objurgatio ſunt prorſus neceſſariæ. *P. Rapin in libro de perfectione chriſtiana.*

Zelus Apoſtolorum.

Viſi ſunt Apoſtoli hoc ſpiritu acti univerſum terrarum orbem peragrare, ut evangelium omnibus populis annuntiarent: ardentes arenæ Æthiopiæ, Africæ deſerta, Scythiæ frigora, remotiſſimæ Indiarum plagæ, maria, procellæ, ſcopuli, calumniæ, populorum contradictiones, oppoſitio legum, omnes ſæculi poteſtates cum catenis, crucibus, carceribus, ſæviſſimiſque cruciatibus non potuerunt zelum eorum deterrere, & cordis conſtantiam labefactare. Non deſunt ad hanc quoque diem, qui eorum veſtigia ſequantur nil metuentes; diceret illos periculis animari, laboribus confirmari ipſaque infirmitate ſua roborari; zelus enim, quo aguntur, efficit, ut hæc ab ipſis contemnatur, cum de proximi ſui ſalute agitur. *Idem libro de ſpiritu Chriſtianiſmi.*

Viden-

De viris Apoſtolicis, qui adhuc videntur.

Videntur adhuc noviſſimis hiſce temporibus ſacri hujus ignis ſcintillæ in Apoſtolicis viris, qui in extremas terrarum partes concedunt ſudoribus, & cruore ſuo irrigaturi ingratas, ſteriſeſque terras, ut illis cœli benedictiones promereantur, efficiantque, ut ibi chriſtiana religio floreſcat. Sed hujuſmodi gratiæ pro omnibus non ſunt; hæ ſunt miſericordiæ Dei, & hæ miſericordiæ magna ſunt miracula: Beatus ille, qui animarum regimine aliquam ſaltem perferre meretur perſecutionem, cum dignus non eſt, qui propriæ vitæ ſumptibus ſuo proximo ſerviat. Hic eſſe debet maxime familiaris bonorum omnium zelus, gemere coram Deo, atque pro mortalium omnium ſalute nuncupare vota, ne Salvatoris mors illi inutilis fiat. Verus enim Chriſtianus totam zeli ſui extenſionem non debet in arcto perfectionis ſuæ ambitu continere; debet enim pro viribus adniti, ut alii quoque ſalutem, & perfectionem aſſequantur.

Zelus, quem pro unica anima habuit Dei filius,

Circumſtantia notatu digna in zelo Salvatoris erat, quod ille animæ unius ſalute ita commovebatur. Minima ex ovibus ſuis illi erat acceptiſſima; nullam neglexit uſquam. Videte illum unius Samaritanæ mulieris converſioni intentum; videte, quidquid illi ſua charitas ſuggerit, ut fœminæ oculos aperiat, & moveat cor. Incipit ille quidem ſenſim in animum ejus irrepere, illam deducit ad errorum ſuorum cognitionem, accenditque in illa cognitionem ejus boni, quod nondum agnoſcit. Mulier hæc illuminatur, convertitur, ipſa etiam prædicat Jeſum Chriſtum. Una igitur mulier fuit objectum charitatis J. C. Hic nobis oſtendit, ſe hujus converſionem inſignis victoriæ loco habuiſſe, longe alia ratione ab illis, qui magna auditorum ſtipati eſſe volunt corona, quibus nonniſi illuſtres ſapiunt actiones, qui eorum dumtaxat adlaborare volunt converſioni, qui vel genere, vel opibus clari ſunt, qui crederent ſe tempus amittere, ſi in ſecretum, abditum, ignotumque concederent locum quæſituri animam in hominum oculis quidem abjectam, ſed in Jeſu Chriſti oculis pretioſam, & quæ ideo fortaſſe languet in tenebris, quia nunquam ipſi lumen oſtenſum fuit. *Lambert tomo 2. ſermonum de vita eccleſiaſtica ſerm. 15.*

Jeſu Chriſti ſanguis effuſus nobis oſtendit, quantum ſit animæ pretium, quanti a Deo hæc fiat, atque diligatur. Hoc in nobis zelum excitare debet iis miniſteriis, quæ ſalutem animarum reſpiciunt; hoc efficere debet, ut cum fervore inquiramus occaſiones idem cooperandi, & quomodo opus eſt, ut charitas Chriſti nos urgeat; *Charitas enim Chriſti urget nos*. 2. Cor. 5. Numquid detrectare poſſumus nos cruorem noſtrum pro illo effundere, pro quo Dei filius totum effudit ſuum? Renuere poſſumus vitam noſtram propter Dei amorem impendere, qui propter amorem noſtri impendit ſuam? Quid videbo animam jamjam perituram; videbo illam jamjam in infernum prolapſuram; cogitabo Deum mortuum eſſe, ut illam redimeret; illam vitæ meæ ſumptibus ſalvare potero, nec faciam? Hoc mihi per charitatem licere non poſſe. Zelus animarum ſingulis momentis cor noſtrum debet inflammare, hic ſemper eſſe debet noſtra potiſſima cura, non ſecus ac præcipua erat Apoſtoli cura. *Rodriguez.*

De zeli præſtantia & merito.

Zeli præſtantia talis eſt, ut a S. Dionyſio de cœleſt. Hierar. cap. 3. opus diviniſſimum appelletur; *Divinorum omnium diviniſſimum eſt cooperari Deo in ſalute animarum*. Et S. Gregorius homil. 12. in Ezech. affirmat, nullum hoc jucundius eſſe Deo ſacrificium; *Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum*. Ratio vero ex D. Thom. lib. 4. contra Gentes cap. 55. deſumitur aſſerente nil in terris majus eſſe anima hominis; hæc enim præſtantiſſima eſt omnium creaturarum. Hoc maxime inſigne opus eſt manus Dei, & vivens ejus imago, qua a malorum omnium maximo, morte videlicet liberatur, ut ſupremo bono perfruatur. Quapropter hæc actio tanti meriti eſt, ut licet omnia bona, opeſque tuas pauperibus erogares, licet corpus jejuniis, ciliciis, & qualibet aſperitate caſtigares, hæc omnia ne procul quidem accedunt ad eam gloriam, quam Deo procurares eidem animas lucratus. Et profecto ſi corporalis eleemoſyna eſt ita Deo accepta, atque tot promeretur benedictiones exercenti illam; quid tandem cogitandum erit de eleemoſyna ſpirituali, quæ tantum præſtat, quantum anima corpori? Hæc eſt S. Gregorii argumentatio. *P. Saint Jure in libro de cognitione, & amore Domini noſtri.*

Exprobratio ad eos, qui negligentia ſua animas perire ſinunt, quod illis nō opitulantur.

Non poſtremus inter effectus, quo zelus producit in illis, qui aliqua ſacri hujus ignis ſcintilla incaleſcunt, & juſtam ciere indignationem in eos, qui animarum interitu non afficiuntur; eoſque ad dicendum impellere cum S. Paulo, qui pati nequit hanc nefariam inertiam in illis, qui per ſcandalum ſunt occaſio lapſus eorum; *Peribit in tua ſcientia frater, quem Chriſtus mortuus eſt?* 1. ad Cor. 8. Quid quieſcis videns perire fratrem tuum, pro quo J. C. vitam ſuam tradidit, ſuumque cruorem effudit? *In tua ſcientia*. Scis illius ſalutem periclitari, eo quod a nemine eruditur, & admonetur; & quin illius calamitatis miſerearis, ita parum moveris, perinde ac ſalus illius tibi nullo eſſet in diſcrimine? Indigne miniſter, & Apoſtole miniſterii tui prævaricator! Anima illa peribit; ſed ex quonam repetet Deus rationem interitus ejuſdem, niſi ab eo, cui ſalutem ejus crediderat? *Auctor Anonymus.*

De zelo acri, & nimis ſevero.

Satis liquet zelum facile aceſcere; ventum hunc, quem Spiritus Sanctus excitat, nonnunquam in turbines immutari; ignem hunc abſumere, ac devorare, qui calefacere tantum deberet. Videte Prophetam Eliam; hic de peccatoribus tantum exterminandis verba facit, fulmina in illos de cœlo detrahit; Dei injurias triennii ſterilitate, omniumque pſeudoprophetarum nece perſequitur. Impetus hujuſmodi ferendi erant, & fortaſſe etiam neceſſarii in lege auſteritatis, ſed longe alius eſt ſpiritus evangelii. Verum eſt: Salvator ignem tulit in terram: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur?* Luc. 12. Vult hunc ardere, ſed ignis hic accendit debet ſpiritu amoris, & manſuetudinis, non autem vehementi flatu ſeveritatis. Imitandus eſt David, qui Abſalonem perſecutus vitam illius incolumem ſervare ſtudebat. Meminiſſe debemus, Salvatorem cum adverſus templi prophanatores excanduit, menſas quidem, merceſque eorum evertiſſe, perſonis autem pepercisſe. Utinam quicumque ad Apoſtolica vocantur miniſteria, zelum hunc haberent fortem ſimul, & lenem, violentum, atque tranquillum; ardentem, & eminenti divinæ charitatis ſcientia illuſtratum; zelum, qui ut ille Sancti Petri, occidit, & manducat: *Occide & manduca*, qui occidit monſtra, ut in rationales homines convertat, qui occidit ſerpentes, ut in columbas immutet, qui occidit peccatores, ut ſanctos faciat, qui occidit inimicos Dei gladio timoris, ut amoris ſpiritu cum eodem conjugat. *Sermo manoſcriptus.*

Zelus mixtus eſſe debet cum indulgentia.

Hi homines zelo ſuccenſi, qui tantum edunt tumorem, ac nullum ſervant modum; hi devoti, qui ob minimas quaslibet noxas conclamant, qui ex rebus omnibus ſcandalum ſumunt, qui omnia eadem metiri volunt menſura; hi, inquam, devoti optimam habent intentionem, non diffiteor; verum non hic eſt zeli chriſtiani character; & magna infertur injuria pietati, quæ adeo rationabilis, ac ſapiens eſt, ſi horum mortalium furores, ac imprudentia illi referuntur accepti. Verus zelus neque impetum habet, neque tumultum; prudens, & moderatus eſt; ſcit commoda ſandi tempora eligere, ut blande in animos irreptat; tener eſt, & compatiens; neque ſemper prolixiori oratione, ſed opportuna indulgentia, & gratificatione, ſed prudenti uſu auctoritatis, quam in alios obtinet, & confidentiæ, quam alii habent in ipſo, bonis præſertim exemplis maximum quemlibet effectum conſequitur. *P. de la Colombiere in chriſtianis conſiderationibus.*

Qui zelum habent, hoc facile intelligunt. Vide, utrum flagres hoc igne, qui illuminare, fovere, inflammare quærit univerſum mundum eodem ardore. Num te miſeret excidii eorum, qui pereunt? Aliquandone lacrymis proſecutus es malorum Chriſtianorum cæcitatem? Ægrene fers Deum parum ab hominibus agnoſci & parum amari? Quid conaris, ut agnoſcatur, & ametur? Non quæro, utrum aliquid audeas cum S. Pauli laboribus comparandum; hoc unum quæro, utrum in aliquo ex amicis, vel ſaltem familia tua pietatem ſtatuere adniſus unquam fueris. *Idem.*

Modus, quo aliquid proximorum ſaluti conferre poſſit.

Habemus fratres ſecundum ſpiritum, habemus etiam ſecundum carnem, qui eo, quo loquor, momento in corruptione verſantur. Vult illius reſuſcitare Deus per gratiam, ſed reſurrectionem hanc a nobis obtineri vult: noſtris precibus, lacrymiſque cogi ad eamdem illis largiendam; alioquin enim ſæpe non placet illis magnæ ſuæ miſericordiæ, quæ converſionis improborum debet eſſe principium, theſauros aperire. Ita etiam cum aliquibus peccatoribus egit. Niſi S. Stephanus pro S. Paulo, & S. Monica pro S. Auguſtino preces fudiſſent, fortaſſe illi nequaquam inter Sanctos a nobis colerentur. Opus erat, ut mater illa zelo ſuccenſa novos partus dolores ferret, iterum genitura filium hunc Cruci JESU CHRISTI; & ut Martyrum ille anteſignanus ſuum impenderet ſanguinem, ut perſecutorem illum converteret, Non Paulus, neque Auguſt. poterant adhuc pro ſe deprecari; aliorum intererat hoc illis officium præſtare, qui in hoc frigide præſtitiſſent, fortaſſe magna hæc duo eccleſiæ lumina tenebris infidelitatis obruerentur, *Bourdalove in primis ſermonibus ſub ejus nomine editis, ſermone de reſurrectione Lazari.*

Nihil glorioſius quam aliquid conferre ad ſalutem animarum.

Quid fieri poteſt, ex quo major Deo gloria cedat, quam aliquid ad ſalutem animarum conferre? Hoc enim, ut ita dicam, idem eſt ac ipſum ſalvare Deum, ut ipſe per Prophetam teſtatur: *Ut ſit ſalus mea uſque ad extremum terræ*. Iſai. 49. Si enim JESUM CHRISTUM inviſo captivos inviſens, ſi hunc nutrio, pauperes nutriens, ſi huic facio, quidquid minimo ex ſervis illius facio, quemadmodum ille in evangelio, non ne ſalvos faciens peccatores ipſum ſalvum facio? *P. Rapin. De ſalutis momento.*

Quilibet poteſt, & debet exercere zelum hunc ſecundum ſtatum ſuum.

Prima, & maxime univerſalis zeli praxis in hoc ſita eſt, ut ardenter cupias Deum ab omnibus mundi nationibus agnoſci, atque ad id ſaltem tua nuncupes vota. Hanc primam voco praxin, niſi enim ardente hoc inflammaris deſiderio, vel nequaquam, aut ſaltem parum utiliter gloriam Dei procurabis. Hanc etiam univerſalem dico praxin; quis enim ſancto hoc ardore flagrare non poteſt? Rex in ſolio dicere poteſt cum David: *Zelus domus tuæ comedit me*. Solitarius in ſpecu ſuo pro infidelibus, atque hæreticis obtinere poteſt gratiam converſionis; jugibus gemitibus urgere poteſt dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam, & quemadmodum Joſue cum hoſtibus populi Dei acie decertans nequaquam retuliſſet victoriam, niſi Moyſis oratio illi tuliſſet opem; ita evangelici præcones minores efficerent progreſſus, niſi Solitarii conjunctis viribus opitularentur ferventes preces effundendo. *Auctor Anonymus.*

Perſecutiones, quas evangelici miniſtri patiuntur, & ipſis, & Eccleſiæ gloriæ ſunt.

Nihil eccleſiæ vel utilius eſt, vel glorioſius perſecutionibus, quibus miniſtri illius exagitantur. Nihil magis probat evangelii veritatem, quam paſſiones eorum, a quibus prædicatur, & qui illud ſuo ſignant cruore. Indignus eſt hoc miniſterio, qui paratus non eſt omnibus malis perferendis, ut rite eodem perfungatur, & qui ea fugit, quæ in eadem perferentium gloriam cedunt. Verus Apoſtolicorum virorum character eſt audacter hujuſmodi in occaſionibus ſuam vitam objicere . . . S. Chryſoſtomus facere nequit, quominus in illis vim chriſtianæ charitatis agnoſcat, quam nulla res poteſt labefactare. Apoſtolus in ipſis etiam vinculis, atque carceribus non oblivifcitur omnium eccleſiarum, quas ipſe inſtituit, omniumque fidelium, quos ipſe convertit. Videntur hæc *viſcera JESU CRISTI*, in quibus eos ſalvos cupit, eidem præbere *viſcera valentia*; ut S. Chryſoſtomus inquit, quæ omnem exuperant ardorem, ad quem naturalis amor poteſt pervenire. *Liber, cui titulus: Chriſtiana documenta &c. in vigeſimam ſecundam Dominicam poſt Pentecoſten.*

Zelus ſalutis proximi efficere non debet, ut ſalutem noſtram negligamus.

Omnes animæ nobis charæ eſſe debent; noſtra vero pretioſior, quam cæteræ ſimul: nobiſque ante omnia omni contendendum eſt niſu, ut ſalvemus eam, & quamvis de communi mortalium omnium ſalute ageretur, nequaquam deberemus noſmet æternæ damnationi objicere, neque vel minimum gratiæ, vel divini amoris gradum amittere. Ita væ nobis, ſi aliena procuraturi negotia neglexerimus noſtra! Væ lampadibus, quæ facem præferentes hominibus abſumuntur, atque intereunt! Væ rivulis, qui omnem, quam recipiunt, aquam refundunt, & nihil ſibi retinent! Væ ſpeculis ardentibus, ſimulque frigidis, quæ ſolares radios recipiunt, eoſque vel permeare ſinunt, vel reflectunt, quin ne unum quidem ſibi retineant, quæ molliunt, quidquid duriſſimum eſt, calefaciunt, quidquid frigidiſſimum, quæ omnia accendunt, & quæ nihilominus remanent frigida inſtar glaciei. *P. le Valois epiſt. 7. de receſſu.*

Magnus Apoſtolorum zelus poſtquā Spiritū Sanctum receperunt.

De quo Apoſtoli artem, quam profitebantur, reliquerunt Salvatorem ſecuturi, hujus evangelium in extremas uſque terrarum plagas pertulerint, quin in toto vitæ ſuæ ſpatio unquam ab incœpto deſiſterent. Charitas hæc, quæ diffuſa fuit in eorum cordibus, cum Spiritus Sanctus datus eſt illis, illic ignem accendit, quo univerſus terrarum orbis conflagrare poſſit. Nequicquam Imperatoris minis, & cruciatibus conantur illos a Domini ipſorum cultu amovere, neque enim aliud reddunt, niſi quod: *Non poſſumus, quæ vidimus, & audivimus non loqui . . . Et convocantes Apoſtolos cæſis denunciaverunt, ne omnino loquerentur in Nomine Jeſu, & dimiſerunt eos. Et illi quidem ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Omni autem die non ceſſabant in templa, & circa domos docentes, & evangelizantes Chriſtum Jeſum*. Itaque quodcumque tentatum fuit, ut zeli eorum ignis extingueretur, illi ſemper vires, recentemque calorem adjecit. *Abbas de Monmorel Dominic. 4. poſt Pentecoſt.*

Raro purus, & integer zelus invenitur.

Quidquid adnitamur, ſemper ad nos ipſos redimus, & perrarum eſt invenire zelum amore proprio prorſus vacuum; perrarum eſt invenire zelum, cujus anima veluti quædam non ſit naturalis noſtra cupiditas. Nobiſmet perſuademus, aliiſque perſuadere conamur, a nobis nihil aliud inquiri præter Dei gloriam, & ob unam hanc nos operari; verum ſi in zeli noſtri exercitatione Deo placere cupimus, cur hoc munus relinquere detrectamus, cum eorum, a quibus regimur, voluntas nobis oſtendit, Deo nequaquam placere, ut ulterius in eodem verſemur? Eſt magnum habere zelum, velle per te ſolum fieri id, quod plures occupare poſſet: verum ſi in hac laborum multitudine propter Deum tantummodo operaris, mirum eſt, te ita attentum eſſe, ac ſollicitum, ut omnes palam intelligant, quot laboribus te ipſum exerceas, ac inani ſudorum tuorum oſtentatione indignam, inutilemque miſerationem emendices. Sæpe omnia facere vis, & ſolus omnia; numquid fortaſſe, quia formidas competitorem, ac metuis, ne diviſi ſint plauſus, ſi alter tecum labores patiatur? Et profecto ſi Dei gloriam tantummodo quæris, quacumque via illa procuretur, debes eſſe voti compos; atque certiſſimum falſi zeli argumentum eſt cum animi ægritudine, & invidia quadam felices aliorum eventus reſpicere. Bona opera, quæ ſunt inſigna, ſuſpicione vacare non debent, cum noſtræ ſunt optionis. Amor proprius ſubtilis eſt; & ſuperbia fere ſemper nanciſcitur modum ſibimet ſatisfaciendi piæ intentionis ſpeciem prætexens. *Idem.*

Nondeſunt, qui ob inordinatum zelum alienæ ſaluti cooperantes damnantur.

O Deus! quam terribilem infelicitatem, ſi poſtquam plurium prædeſtinatorum ſaluti fuerimus cooperati, ad vitæ exitum ex ſupremi rerum omnium arbitri ore audituri ſumus nos reprobatos eſſe, funeſtumque feciſſe naufragium poſtquam, ut ita dicam, aliis opem tulerimus, ut in beatæ æternitatis portum trajicerentur; infelices id genus Apoſtoli, eruditus quidam vir ait, nequeunt melius comparari, quam iis, qui Noeticam extruxerunt Arcam, qui poſtquam diu labores perpeſſi ſunt, ut alienæ ſaluti aliquid conferrent, primi fuere, qui diluvii fluctibus obruti miſere interirent. Hoc iterum, iterumque cogitandum eſt ab illis, qui propter zelum, vel officium alienæ invigilant incolumitati, ne hoc miniſterium, ſanctumque munus vitæ ſuæ impuritate dedecorent, & meminerint ſe dignos præbere debere, quibus Deus loquatur, & quos erudiat, antequam aliis prædicandi, aliosque edocendi provinciam aggrediantur. *Liber, cui titulus: Dialogi Joannis Abbatis, & Euſebii presbyteri.*

Ex S. Bernardi ſententia non ſufficit eos, qui ad munus adeo ſanctum aſſumuntur, communem habere virtutem. Sanctitas eorum eſſe debet plena, & ſuperabundans, ipſique, ut Propheta inquit, induti eſſe debent juſtitia. Aliter, hic Pater ait, hoc eſt ſeipſum exinanire velle, cum periculoſæ feſtinationis effectu extrinſecus temet effundi, cum vix ſemiplenus es, neque expectas, donec omnino plenus ſis ſpiritu Dei. Ut igitur hac in re prudens hoc ſequaris conſilium, cavendum eſt, ne imiteris rivulum eodem fere momento emittentem aquas, quo eaſdem recipit. Fontis alveus imitandus eſt, qui aquas ſuas nonniſi plenus effundens id dat, quod ſibi ſuperfluit, quin ulla jactura afficiatur. *Idem.*

De zelo amaro & nimis ardenti.

Zelus hic ardens, nimiſque durus, qui exſiccat, ac devorat, quocumque ſe effundit, palam oſtendit quotuplicem perſonam gerat illuſio. Fruſtra oſtendis, accenſam bilem, aduſtum ſanguinem, ingenium acre, & moroſum majorem ſibi vendicare partem hujus ſpecioſæ ſeveritatis, quam manſuetus ſpiritus Jeſu Chriſti. Cordis illuſio prævenit; non auditis; ob oculos habent Eliæ zelum, & quidquid contrarium exhibetur, vocatur mollis, & damnabilis indulgentia, prævaricatio, relaxatio. Severitas non ſemper illis eſt incommoda, qui hanc aliis prædicant. Sæpe ſibimet indulgente, eo uſque, ut ſibi graviora condonent vitia, ab aliis religioſiſſimam exigunt regularitatem ... Sæpe amarus hic zelus ſeſe in querimoniam, & murmur effundit. Heu! Charitas inveniturne in corde exacerbato, ac inflammato contra vitia, quæ aliquando ſunt tantum commentitia? Si corrigendi ſunt abuſus, ſi errores reprehendendi, relinquamus patrifamilias curam vineæ ipſius, quam ſupremus Dominus non credidit nobis. Noverit ille triticum a lolio ſecernere, atque a conductoribus ſuis commiſſi depoſiti rationem expetere. Quænam illuſio eſt æternum contra